

## De quæstione quæ vocatur Magdalenica.

Ecce ista est diversitas opinionum patrum et accipiat  
quilibet quod vult.

Albertus Magnus de hac re ad Luc. VII, 36—50.

Commentationem cum statuissem scribere de quæstione quæ vocatur Magdalenica sive de vetere illa controversia, utrum Maria Magdalena et mulieres, a quibus ss. Evangelistæ Dominum unctum esse tradunt, una eademque an plures fuerint: rem sic instituendam esse putavi, ut paucis proposita huius controversiæ historia, priusquam s. scripturæ, qui huc pertinent, locos diligentius tractarem, de patrum sententia dissererem. Nam ex illis locis non facile verum posse effici neutramque sententiam s. scripturæ aperte repugnare, etiam is videbit, qui leviter rem attigerit. Quare si non etiam primis post Chr. n. sæculis duplex de hac re memoria erat, si quid traditum erat communi quasi fama, non iam sub iudice lis est. Ea quoque de causa ordinem immutavi, quod cognoveram multos homines doctos, cum ipsa re examinata atque perpensa quærere coepissent, quid patres de hac quæstione sentirent, non integre et tranquille iudicasse. „Innumera“ recte inquit Sollerius <sup>1)</sup> „de Magdalenis et Mariis scripta dicam an intricata sunt, adducta ultro citroque Patrum testimonia, eadem hæc modis diversissimis distracta atque ad arguentium sensum detorta.“

---

De unctionibus atque unctricibus, quæ sunt apud ss. Evangelistas (Matth. xxvi, 6—13; Marc. xiv, 3—9; Luc. vii, 36—50; Joan. xi, 1—2 et xii, 1—8), cum antea — ut omittam scriptores Græcos ætate inferiores — Gregorii Magni sententia, qui ab una Maria Magdalena Dominum unctum esse dixit, ita valuisset, ut inde ab ipsius Gregorii temporibus pauci reperiantur qui dissenserint, sæculo sexto decimo magna hominum doctorum orta

---

<sup>1)</sup> In Actis Sanctorum Julii tom. V. §. 1. pag. 188 (a. 1731). Parisiis et Romæ 1868.

est pugna atque controversia et ea primo ac præcipue in Gallia.<sup>1)</sup> Anno enim millesimo sexcentesimo decimo sexto Faber ille Stapulensis commentationem scripsit de Maria Magdalena,<sup>2)</sup> qua falsam esse contendit illam Gregorii sententiam dicendumque tres fuisse mulieres, Mariam Magdalenam, quæ Dominum non unxisset, Mariam, Lazari et Marthæ sororem, cui et ipsi nomen fuisset Maria Magdalena,<sup>3)</sup> — in hoc uno se errasse ipse in altera de eadem re commentatione concessit<sup>4)</sup> — peccatricemque, cuius nomen ignotum esset. Magnus inde motus factus est multique libri contra Fabrum scripti sunt, cum ab aliis, veluti a Marco Grandivalli,<sup>5)</sup> a Natali Beda,<sup>6)</sup> tum maxime a clarissimo illo Joanne

<sup>1)</sup> Fuisse etiam in Italia, et, ut videntur, aliquot annis ante, qui a pluribus Dominum unctum esse putarent, testatur Baptista Mantuanus (1448–1518: v. Jöcher, Allgemeines Gelehrten-Lexikon, ed. Lips. 1751 tom. IV. sub voce „Spagnoli“), ex cuius Fastorum libri XII Fisscher (v. pag. 5 annot. 1) fol. 52 hos versus affert:

„Sunt qui turpe putent Marthæ infamare sororem,  
Sed memorant alia quandam de gente puellam  
Nominis eiusdem, cui sic illuserit illa  
Tempestate Venus, iuvenum teterrima pestis,  
Gregoriumque volunt, fœdi qui criminis auctor  
Exstiterit, peccasse: velut peccasse Maronem  
Dicimus ob læsum castæ Didonis honorem.  
Sed quoniam divi, qui supra sidera vivunt,  
Non curant, de se in terris quid fama loquatur —  
Nectar enim, quo vescuntur, dediscere terras  
Cogit, et inducit perituri obliviam mundi —  
Nos quoque rumores hominum contemnimus istos.“

<sup>2)</sup> Jacobi Fabri Stapulensis de Maria Magdalena, Triduo Christi et ex tribus una Maria disceptatio. ed. I. Parisiis 1516; ed. II. Parisiis 1518, cui præfatus est Judocus Clichtoveus.

<sup>3)</sup> Duas, non tres Magdalenas fuisse Faber censuit, quem iam eius discipulus Clichtoveus in eo libro qui inscribitur „Disceptationis de Magdalena defensio, apologiæ Marci Grandivallis Theologi illam improbantis ex opposito respondens: per Judocum Clichtoveum Neoportuensem, doctorem Theologum elucubrata 1519“ fol. 5 n. 5 docuit „duas duntaxat ex Evangelio Magdalenas ponere.“ Quamquam omnes fere, qui eius sententiam proferunt, a Fisschero a. 1519 (fol. 8) usque ad Clarum a. 1852 (pag. 26 et 27) illud ab eo dictum esse tradunt; quod quomodo fieri potuerit, vix intellegitur nisi ex eo, quod a Fabro libri, quos de hac re scripsit, male inscripti sunt, cf. <sup>2)</sup> et <sup>4)</sup>. Potuit id quoque fieri, ut ea quæ Faber in initio dixit (ed. II. fol. 11 n. 1): „Ego vero responsionem tunc paucis absolvi, tres (mea sententia) nomine Mariæ Magdalene celebrari solitas, et quod singulatim cuique convenit, omnibus: et quod omnibus, singulatim cuique tribui solitum“ male intellegerentur, ut non recte ea vertit Thorz (v. pag. 5 annot. 7) pag. 37 „... dass nämlich drei Magdalenen unter einem Namen gefeiert werden.“ Faber aperte dicit fol. 22 n. 12: „Peccatricis nomen: ex evangelio et scriptoribus ignoratur“; cf. etiam fol. 27 n. 16 et in altera commentatione fol. 3: „in prima [disceptatione] cum Ambrosio hanc ingressus symmachian: duas esse Magdalenas Evangelicas disputavi. hic autem: non duas, sed unicam esse disseram.“

<sup>4)</sup> Jacobi Fabri Stapulensis de tribus et unica Magdalena disceptatio secunda. Parisiis 1519.

<sup>5)</sup> Marci Grandivallis Apologia pro unica Magdalena. 1519.

<sup>6)</sup> Scholastica declaratio sententiæ et ritus ecclesiæ de unica Magdalena per Natalem Bedam studii Parrhisien. Artium et Theologiæ magistrum: contra magistrorum Jacobi Fabri, et Judoci Clichtovei contheologi scripta, per additionis modum ad ea, quæ prius per alios contra eosdem fuere deprompta. (Parisiis) 1519.

Fisschero,<sup>1)</sup> Roffensi in Britannia episcopo. Ipsa quoque Sorbona (a. 1521) decrevit,<sup>2)</sup> s. Gregorii sententiam amplectendam esse et quæ scripta essent adversus eam sententiam eicienda.<sup>3)</sup> Quo factum est, ut tum quidem in Gallia hæc controversia pæne tolleretur; atque etiam ceteri homines docti fere omnes Gregorium secuti sunt. Sed paulatim huius rei facta est commutatio et præcipue Estii, qui a. 1609 orationem habuit,<sup>4)</sup> qua tres mulieres fuisse probare studuit, auctoritate moti in primis in eadem Gallia multi homines docti ipsi assentiri cœperunt, præsertim cum eius sententia a papa, cui ipse Estius eam iudicandam miserat, non esset improbata.<sup>5)</sup> Multi tamen etiam eorum, qui postea fuerunt, cum Gregorio contra Fabrum et Estium senserunt; quo in numero maxime qui commemoretur dignus est Sollerius, unus ex illis qui dicuntur Bollandistis, qui accuratam commentationem de hac re scripsit.<sup>6)</sup> His quidem temporibus Græcorum tabulæ ecclesiasticæ,<sup>7)</sup> libri liturgici, quibus singulæ Galliæ ecclesiæ utuntur, fere omnes,<sup>8)</sup> plurimi, quod sciam, eorum, qui s. scripturam interpretati sunt, tres dicunt fuisse mulieres; alii multi, in quibus ii, qui nuper libros separatim de hac quæstione confecerunt, Faillon,<sup>9)</sup> a quo præclarissime de hac re scriptum est, Clarus,<sup>10)</sup> Thorz,<sup>11)</sup> atque Romanæ ecclesiæ et Missale et Breviarium et ceteri libri omnes etiamnunc Gregorii sententiam sequuntur.

<sup>1)</sup> Reverendi patris Joannis Fisscher Roffensis in Anglia Episcopi necnon Cantabrigien. academici Cancellarii dignissimi, de unica Magdalena. Libri tres. Parisiis 1519.

<sup>2)</sup> cf. Bayle, Dictionnaire historique et critique. Cinquième édition, tome second, Amsterdam 1740, pag. 470. Descripta est hæc „censura Sorbonica“ a Sollerio l. l. pag. 189.

<sup>3)</sup> Sæculo septimo decimo Sorbona sententiam videtur mutasse: v. Bayle, l. l. et Clarus, Geschichte des Lebens, der Reliquien und des Cultus der heiligen Geschwister Magdalena, Martha und Lazarus ... nach Originalquellen bearbeitet, Regensburg 1852, pag. 28 et 29.

<sup>4)</sup> die 21. Julii (inter impressas quarta decima, Lovanii 1760).

<sup>5)</sup> v. Clarus l. l. pag. 29. Et ne Fabri quidem de hac re sententiam esse improbatam, inde effici posse videatur, quod notæ libellis eius ascriptæ additum est illud „donec corrigantur“: v. Index librorum prohibitorum, Mechliniæ 1838, pag. 130.

<sup>6)</sup> v. pag. 3 annot. 1.

<sup>7)</sup> v. Tillemont, Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique. Tome II. Seconde édition, Paris 1701, pag. 29 sqq., ubi agit de „Sainte Marie-Madeleine avec S. Lazare et ses sœurs“. Thorz, Die heilige Maria Magdalena. Troppau 1866, pag. 9.

<sup>8)</sup> Hi libri, cum antea in iis scriptum esset, ab una Maria Magdalena Dominum unctum esse, alii sæculo septimo decimo, alii duodevicesimo, aliqui hoc ipso sæculo mutati sunt. v. Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie-Madeleine en Provence, et sur les autres apôtres de cette contrée, saint Lazare, saint Maximin, sainte Marthe et les saintes Maries Jacobé et Salomé, par l'auteur de la dernière vie de M. Olier [Faillon]. Ouvrage .. publié par M. l'abbé Migne. Paris 1848, tome I, pag. 33–36.

<sup>9)</sup> v. annot. 8.

<sup>10)</sup> v. annot. 3.

<sup>11)</sup> v. annot. 7. Quamquam ipse non ita se rem habere arbitrari videtur, cum scribit pag. 136: „Und nur die Auctorität Gregors vermag uns zu zwingen der kirchlichen Meinung Rechnung zu tragen, ohne jedoch andererseits in dieser kirchlichen Meinung eine peremptorische und bindende Entscheidung oder einen dogmatischen Ausspruch erblicken zu müssen.“ cf. quæ pag. 215 ab eo scripta sunt.

## I.

Patres scriptoresque veteres quid de hac quæstione senserint.

Hac commentationis parte cum mihi quærendum sit, quid veteres illi, qui primis post Chr. n. sæculis<sup>1)</sup> fuerunt, de hac re senserint, locos huc spectantes, quos reperire potui, afferam omnes. Longe autem abest ut omnes locos invenisse mihi videar. Nam multi scriptores alius alio loco et ad res ab hac quæstione alienas de hac controversia locuti sunt aut eam attigerunt. Quoniam igitur et Græci sive Orientales scriptores et Latini proferendi sunt, primum Græcorum scriptorum tractabo locos, deinde Latinorum. Hoc autem prædicendum esse videtur — ut non dicam, quo quis vetustior sit, eo locupletiore esse testem — plus auctoritatis habere scriptores, cum de hac re in interpretandis ipsis librorum sacrorum locis loquantur, quam cum casu in mentionem huius rei incidant, præsertim ubi id agant, ut animos ad pietatem et sanctitatem excitent.

### A. Scriptores Græci.

#### Constitutiones Apostolicæ.

Scriptum est in lib. III. cap. 6: <sup>2)</sup> „συνῆν γὰρ ἡμῖν ἦτε Μητέρα τοῦ Κυρίου καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ· ἔτι δὲ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου, καὶ Μάρθα καὶ Μαρία αἱ ἀδελφαὶ Λαζάρου, Σαλώμη, καὶ ἕτεραί τινες.“

Hic locus, quem omnes primum afferre solent, omnium gravissimus esset, quin etiam de Maria Magdalena et Maria, Lazari sorore, — peccatricis mentio non fit — controversiam diiudicaret, si hæ constitutiones profectæ essent ab Apostolis. His autem temporibus nemo iam dubitat, quin ad scriptores ætate multo posteriores referendæ sint. Tamen cum veri simillimum sit, sex priores libros sæculo tertio scriptos esse,<sup>3)</sup> hic locus non parvo præsidio est sententiæ eorum, qui Mariam Magdalenam a Maria, Lazari sorore, distinguunt.

<sup>1)</sup> „Gewöhnlich und am geeignetsten wird das patristische Zeitalter mit der griechisch-römischen Periode der kirchlichen Literaturgeschichte abgeschlossen, so dass Gregor der Grosse († 604) als der letzte Kirchenvater des Abendlandes und Johannes Damascenus (nach 754) als der letzte des Morgenlandes betrachtet wird.“ Schmid, Grundlinien der Patrologie. Freiburg 1879, §. 6, pag. 6.

<sup>2)</sup> Migne, Patrologiæ cursus completus. Ser. Græc. tom. I. pag. 769 sqq.

<sup>3)</sup> Wetzer und Welte, Kirchen-Lexicon, tom. II. pag. 857. Fessler, Institutiones patrologiæ. Oeniponte 1850, tom. I. pag. 166.

S. Theophilus Antiochenus († c. a. 181).

Locus, qui de hac re proferri solet ut ab eo scriptus, hic est:

„Quamvis autem quattuor evangelistae unguentum mulieris commemorarent, non est tamen una, sed duae, una quidem, quae describitur a Joanne, quae soror est Lazari, quae scilicet ante sex dies paschae unxit pedes Jesu; alia vero quae a reliquis tribus evangelistis describitur. Adhuc autem si attendas: invenies has tres esse. A Joanne enim una describitur, altera vero a Luca, a duobus vere reliquis altera. Quae enim a Luca describitur meretrix esse, dicitur in medio praedicationis tempore ad Jesum venisse. Haec vero quae a Matthaeo et Marco describitur, dicitur in tempore passionis venisse non confitentem [!] se peccatricem.“

Haec verba in Catena aurea s. Thomae Aquinatis ad Marc. lib. XIV inveniuntur, qui primus, quod sciam, in hac re Theophilum commemorat. Tres igitur mulieres unctrices fuisse praeter Magdalenam, cuius non meminit, Theophilus dicit, si quidem ab ipso hic locus est scriptus. Illud quidem constat, s. Hieronymum commentarios legisse in evangelium compositos, qui ad Theophilum referrentur; sed ipse eos Theophili esse non putasse videtur.<sup>1)</sup> Utcunque autem ea res se habet, perisse videntur hi commentarii; nam is, qui in Latinum conversus in Magna et in Maxima bibliotheca veterum Patrum exstat, cum etiam ipsius Hieronymi loci in eo inveniuntur, idem esse non potest atque ille, quem Hieronymus legisse se dicit,<sup>2)</sup> nisi forte postea iis locis corruptus est.<sup>3)</sup> Illa vero verba, quae Thomas profert, in neutra sunt Patrum bibliotheca; quare aut putandus est ille alicubi reliquias commentariorum, quos Hieronymus commemorat, invenisse, aut, quod quidem magis credo, per errorem Theophili nomen scriptum est pro Theophylacto,<sup>4)</sup> cuius ad eiusdem Marci cap. XIV verba pæne eadem sunt atque ea quae Thomas affert.<sup>5)</sup> Quae cum ita sint, ex hoc loco nihil ad hanc quaestionem solvendam effici potest.

S. Irenaeus<sup>6)</sup> († a. 202).

Quae Irenaeus de unctrice dixit, continet lib. adversus haereses III. cap. 14,3: <sup>7)</sup>

„Si autem quis refutet Lucam, quasi non cognoverit veritatem, manifestus erit proiciens evangelium, cuius dignatur esse discipulus. Plurima enim et magis necessaria

<sup>1)</sup> v. Möhler, Patrologie, herausgegeben von Reithmayr, Regensburg 1840, tom. I. pag. 291 sq.

<sup>2)</sup> v. Möhler, l. l. pag. 292.

<sup>3)</sup> Hoc quidem tempore nemo est, qui eum commentarium subditicium non putet: v. Möhler l. l. Fessler, l. l. tom. I. pag. 225.

<sup>4)</sup> In editione s. Thomae Aquinatis operum omnium, quae prodiit Parmæ a. 1860, Theophylacti nomen scriptum invenitur tom. XI. pag. 420.

<sup>5)</sup> Ed. Venet. 1774 pag. 246 D: „καὶ δοκεῖ μὲν παρὰ τισι μία εἶναι. οὐκ ἔστι δὲ δύο δὲ εἰσὶ μία μὲν ἡ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ, ἡ καὶ τοῦ Ἀνδρέου ἀδελφῆς οὖσα· ἑτέρα δὲ ἡ παρὰ τοῖς λοιποῖς τρισὶ πλὴν πρόσθε καὶ εὐρήσεις ταύτας τρεῖς οὖσας· παρὰ μὲν τῷ Ἰωάννῃ μίαν, παρὰ δὲ τῷ Λουκᾷ ἄλλην· παρὰ δὲ τοῖς δυσὶν ἑτέραν μίαν. ἡ γὰρ παρὰ τῷ Λουκᾷ καὶ πόρνη ἦν καὶ περὶ τὰ μέσα τοῦ κηρύγματος· ἡ δὲ παρὰ τῷ Ματθαίῳ πρὸς τῷ καιρῷ τοῦ πάθους, καὶ οὐδὲ πόρνη ὁμολογουμένως.“

<sup>6)</sup> Irenaeus, quamquam in Gallia sedem habuit, tamen, quia ortu et eruditione Graecus fuit, inter Graecos patres videtur referendus esse.

<sup>7)</sup> Migne, Ser. Graec. tom. VII. pag. 915 sq. (202). Perit exemplar Graecum excepta magna parte libri primi et aliquot, ut ita dicam, fragmentis; exstat interpretatio Latina.

Evangelii per hunc cognovimus, sicut Joannis generationem et de Zacharia historiam . . . et omnia huiusmodi per solum Lucam cognovimus, et plurimos actus Domini per hunc didicimus, quibus et omnes utuntur: ut multitudinem piscium, quam concluserunt hi qui cum Petro erant . . . Et qui pulsat nocte sumere panes, et propter instantiam importunitatis sumit; et quoniam apud Pharisæum recumbente eo, peccatrix mulier osculabatur pedes eius et unguento ungebat, et quæcunque propter eam dixit ad Simonem Dominus de duobus debitoribus; et de parabola divitis illius qui reclusit quæ ei nata fuerant . . .“

Magnum est de huius loci vi atque sententia inter homines doctos certamen, cum Faber et omnes fere, qui ab eo stant, Irenæum dicant discernere peccatricem ab ea quæ est apud ceteros Evangelistas unctrice, adversarii auctore eo utantur ad probandam suam opinionem.<sup>1)</sup> In hoc uno omnes, et recte quidem, consentiunt, Irenæum testem esse locupletissimum, quippe qui et veterrimus patrum sit, quorum quidem vera testimonia in quæstione Magdalenica proferantur, et nepos — ut ita dicam — s. Joannis apostoli fuerit ex patre Polycarpo. Sed videamus, quid iudicandum sit de sententiis illis tantum inter se discrepantibus. Ac primum quidem eorum opinio, qui Irenæum contenderunt hisce verbis unam eandemque unctricem significasse, sine dubio falsa est, et satis esse iis debuit probare, illum nihil dicere contra ipsorum de quæstione Magdalenica sententiam. Tantum enim certum est, Irenæum, cum inter eas res, quarum solus Lucas mentionem faciat, peccatricis unctionem commemoret, eam unctionem distinguere ab illa, cuius ceteri Evangelistæ meminerunt. Duas igitur dicit fuisse unctiones; utrum autem unius eiusdemque mulieris putet fuisse unctiones an duarum mulierum, non dicit, neque id huius loci erat. Quare ne ii quidem recte faciunt, qui his eum verbis existimant aperte testatum esse, plures fuisse unctrices. Quamquam negari non potest, fieri posse ut his Irenæi verbis moveatur quis ut putet, Irenæum nescivisse, peccatricem et alteram mulierem unctricem a quibusdam existimari unam eandemque esse. Sed nescio an ille, ut alias res, sic peccatricis unctionem iisdem fere verbis narrare voluerit, quibus utitur Evangelista, qui ipse quoque nihil de ista re significans scribit: „γυνή ἥτις ἦν ἐν τῇ πόλει ἁμαρτωλός.“<sup>2)</sup>

Clemens Alexandrinus († c. a. 217).

Pædagog. lib. II. cap. 8 hæc habet: <sup>3)</sup> „Οἷδ' ὅτι ἀλάβαστρον μύρον παρὰ τὸ δεῖπνον τοῦ ἁγίου κομίσασα ἡ γυνή τοὺς πόδας ἤλειψε τοῦ Κυρίου, καὶ ἥσεν αὐτόν· οἶδα δὲ καὶ χροσφὴ καὶ λίθῳ τιμίῳ τοὺς παλαιούς τῶν Ἑβραίων ἀναδονμένους βασιλεῖς. Ἀλλ' ἡ μὲν γυνή μηδέπω τοῦ Λόγου μεταλαβοῦσα (ἔτι γὰρ ἦν ἁμαρτωλός)· ὅπερ ἡγεῖτο τὸ κάλλιστον εἶναι παρ' αὐτῇ, τὸ μύρον, τοῦτ' τετίμηκε τὸν Δεσπότην· ἀμέλει καὶ τῷ κόσμῳ τοῦ σώματος, ταῖς θορίξιν ταῖς ἐσθῆσιν, ἀπεψᾶτο τὸ περιστῶν τοῦ μύρον, ἐπισπένδουσα τῷ Κυρίῳ μετανοίας δάκρυα· διὰ τοῦτο ἀφένονται αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι.“

<sup>1)</sup> Alexander tamen Natalis, *Histor. ecclesiast. in mantissa ad sæculi I. dissertationem XVII.* (ed. Paris. 1699, tom. III. pag. 188) concedit hunc locum præsidio esse Fabri sententiæ. „Significat“ inquit „huius peccatricis nullam fieri apud caeteros Evangelistas mentionem, adeoque non esse eandem, de qua Sancti Matthæus et Joannes loquuntur.“

<sup>2)</sup> Luc. VII, 37.

<sup>3)</sup> Migne, *Ser. Græc.* tom. VIII. pag. 465 (76).

Hoc loco quoniam Clemens peccatricis unctionem, cum aliorum unctiones vituperandae sint, probandam esse dicit, quippe quae a peccatrice facta sit, dubium non esse videtur, quin putaverit, semel Dominum unctum esse et quidem a peccatrice Maria, Lazari sorore. Nescio an etiam illud „τὸ δέπνον τὸ ἅγιον“ ad eam unctionem spectet, quae est apud Joannem.<sup>1)</sup>

#### Ammonius Alexandrinus.<sup>2)</sup>

In Evangelicis Harmoniis ab eo scriptis, quae exstant in Latinum translatae (a Victore Capuano<sup>3)</sup> saeculo sexto), haec sunt:<sup>4)</sup>

„Maria ergo habens alabastrum unguenti . . . effudit super caput eius recumbentis, et unxit pedes eius . . . Dixit ergo unus ex discipulis eius, Judas Scariotis . . . Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes: Utquid perditio haec unguenti facta est? Sciens autem Jesus ait illis: quid molesti estis huic mulieri? . . . ubicumque . . . Videns autem Pharisaeus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta . . .“

Apparet, Ammonium unam unctionem fuisse putare ob eamque causam unam unctricem.

#### Origenes († a. 254).

Origenem et Faber iique omnes, qui cum eo faciunt, ad hanc rem citant testem omnium gravissimum et adversarii multi ut ipsorum sententiae auctorem laudant. Neque potest negari, qui recte velit interpretari eius verba, eum in difficultates incurrere haud leves.<sup>5)</sup> Conandum tamen est, si inquirendo reperiri possit, quid potissimum princeps ille criticorum de hac re senserit.

Atque ut ordiamur ab homiliis in Canticum Canticorum, haec sunt in priore:<sup>6)</sup>

„In Evangelio quoque mulier accipiens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, caput Jesu pedesque perfudit. Observa diligenter quae de duabus super caput effuderit salvatoris: siquidem peccatrix super pedes, et ea quae dicitur non fuisse peccatrix, super caput eius fudisse monstratur.“

His verbis duas mulieres unctrices fuisse dicit, alteram peccatricem, quae super pedes unguentum effuderit, alteram non peccatricem, quae super caput effuderit. Forsitan dixerit

<sup>1)</sup> Quamquam eodem modo scriptum esse potest, quo scripsit s. Chrysostomus de poenitentia homil. VII. (Migne, Ser. Graec. tom. II. pag. 325 [329]): „ἡ ἀμαρτωλὸς ἐκέλευε γυνὴ ἡ μετανοήσασα ἐπὶ πόσῃ ἀμαρτίᾳ καὶ ἀνομίᾳ, ἣ τοσαύτη ἀμαρτήσασα, καὶ τοσοῦτοις ἀμαρτιῶν ἔργοις ἀνεχομένη, διωχθεῖσα τὴν ἐκ μετανοίας σωτηρίαν ὑπεισῆλθε τῷ συμπόσιῳ τῶν ἁγίων· καὶ δὲ συμπόσιον ἁγίων, ἐπειδὴ παρὴν ὁ Ἅγιος τῶν ἁγίων.“

<sup>2)</sup> Quando natus aut mortuus sit, nescimus; constat autem, eum praepceptorem Origenis fuisse.

<sup>3)</sup> Has harmonias ipse Victor a Tatiano scriptas esse putavit in praefatione, l. I. pag. 253. Non recte: v. Möhler, Patrol. pag. 586; Fessler, Instit. patrol. tom. I. pag. 223; Wetzer und Welte, Kirchen-Lexicon ad vocem Ammonii tom. I. pag. 207.

<sup>4)</sup> Migne, Ser. Lat. tom. LXVIII. pag. 329. In cap. CXXXVIII.

<sup>5)</sup> „Illius“, inquit Huetius in Observatt. et nott. ad Origenis commentt. (Migne, Ser. Graec. tom. XIII. pag. 984 annot. 3) „profecto valde incerta et desultoria super hac quaestione videtur esse sententia.“

<sup>6)</sup> Migne, Ser. Graec. tom. XIII. pag. 41 (14).

quispiam, quoniam pedes unxerit et quæ apud Lucam sit mulier — quæ nominatur peccatrix — et quæ apud Joannem sit, Maria, Lazari soror, Origenem censere peccatricem esse Mariam, Lazari sororem.<sup>1)</sup> At in altera in Canticum Canticorum homilia, quam eodem tempore scripsit, idem aperte dicit, Mariam, Lazari sororem, et sanctam esse et unxisse Jesu caput:<sup>2)</sup>

„Loquitur Evangelium, quia venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, non illa peccatrix, sed sancta, de qua nunc mihi sermo est. Scio quippe Lucam de peccatrice, Matthæum vero et Joannem et Marcum non de peccatrice illa dixisse. Venit ergo non peccatrix, sed sancta, cuius nomen quoque Joannes inseruit. Maria quippe erat habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, et effudit super caput Jesu.“<sup>3)</sup>

Apparet ex hoc loco, Origenem mulierem, quæ est apud Matthæum, apud Marcum, apud Joannem, unam eandemque esse existimare, et duas mulieres sic distinguere, ut altera, peccatrix, apud Lucam sit, altera, sancta et Maria, apud ceteros.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> ut Thorz scribit pag. 129: „Darnach wären die Sünderin bei Lucas und die Schwester des Lazarus (Joh. 12) identisch, denn diese beiden salbten die Füße des Herrn (Luc. 7, 38; Joh. 12, 3), verschieden jedoch von dem Weibe bei Matthäus (26, 7) und Marcus (14, 3), die das Haupt des Herrn mit Salbe übergoss.“

<sup>2)</sup> Migne, l. l. pag. 48 (17).

<sup>3)</sup> Ergo aut fugiebat eum tum quidem, Joannem tradere a Maria unctos esse Domini pedes, aut putabat unctos esse et pedes et caput, quod idem s. Augustinus existimat de Consensu Evangelistarum lib. II. cap. 79 (Migne, Ser. Lat. tom. XXXIV. pag. 1155) et plerique s. scripturæ interpretes. Postea vero ad Matth. cap. XXVI. Origenes censuit Mariam solos unxisse pedes (Migne, Ser. Græc. tom. XIII. pag. 1723 [893]): „Si autem quis et quæ de Maria Lazari sorore scripta sunt, tractet, quæ et ipsa unxit Domini pedes, notet sibi quæ scripta sunt ibi, quoniam omnis domus repleta est ex odore unguenti; quod non est scriptum de ea, quæ dicebatur esse peccatrix“; sed dixit tum quoque tres unctrices fuisse: v. infra. Quare, quod Thorz dicit Origenem sibi non constare, cum Mariam dicat in hom. I. fuisse peccatricem, in hom. II. fuisse sanctam, vereor ne ista inconstantia non Origeni debeat, sed ipsi Thorz.

<sup>4)</sup> In iis vero, quæ in hac eadem homilia sequuntur pag. 48: „Deinde super hoc indignantibus non omnibus discipulis, sed Juda solo dicente: Potuit venundari hoc trecentis denariis et dari pauperibus; respondit Magister atque Salvator: Semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper. Praeveniens quippe hæc in diem sepulture meae fecit. Ideo ubicunque prædicatum fuerit Evangelium istud, dicetur et quod fecit hæc in memoriam eius“ illud „indignantibus non omnibus discipulis sed Juda solo dicente“ aliquam habet difficultatem. Idem Origenes perplexe loqui videtur (nisi tum quidem Simonem leprosum et Simonem Phariseum unum eundemque esse censuit) in iis, quæ in homilia I. sequuntur l. l. pag. 41: „Nec mirum domum fuisse odore completam, cum hoc ordine [odore?] mundus completus sit. Scribitur in eodem loco de Simone leproso et domo eius. Ego puto leprosum mundi istius esse principem, et hunc leprosum Simonem nuncupari, cuius domus ad adventum Christi suavi odore completa sit agente poenitentiam peccatrice et sancta caput Jesu unguenti odoribus perfundente.“ Videtur igitur putare, etiam peccatricem in domo Simonis leprosi Dominum unxisse. Nec minus confuse loquitur ad Matth. tom. XII. (Migne, Ser. Græc. tom. XIII. pag. 984 sq. [516]): „ἐλοις δ' ἂν ᾖ τὴν Ἰουδαίων συναγωγὴν ὡς μοιχαλίδας καταλιπὼν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἀνεκλήσθην ἀπ' αὐτῆς, καὶ ἔλαβε γυναῖκα πορνείας, τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπεὶ ἐκεῖνοι μὲν, ὅντις πόλις πιστὴ Σιών, γεγόνασι πόρνοι· οὗτοι δὲ ὡς ἡ Ῥαββὴ ἡ πόρνη, τοὺς τοῦ Ἰησοῦ κατασκόπους ὑποδεξαμένη, διεσώθη πανοικί, μετὰ τοῦτο μὲν πορνέουσα, ἀλλ' ἐλθοῦσα παρὰ τοὺς τοῦ Ἰησοῦ πόδας, καὶ βρέχουσα αὐτοὺς τοῖς τῆς μετανοίας δάκρυσι, καὶ ἀλείφουσα τῇ τῆς ἁγίας πολιτείας

Gravissimus vero de hac re apud Origenem locus, quippe quo proprie de mulieribus unctricibus agatur, est in Matth. cap. xxvi, 6—8.<sup>1)</sup> Ibi allatis s. scripturæ verbis scribit hæc:

„Multi<sup>2)</sup> quidem existimant de una eademque muliere quatuor evangelistas exposuisse, quia conscripserunt tale aliquid de muliere, et omnes similiter alabastrum unguenti nominaverunt . . . . Multa ergo similitudo et cognatio quædam de muliere apud quatuor evangelistas. Dicam tamen ad eos qui arbitrantur unam fuisse mulierem de qua omnes evangelistæ scripserunt . . . . Forsitan ergo quis dicet quatuor fuisse mulieres, de quibus conscripserunt evangelistæ; ego autem magis consentio tres fuisse, et unam quidem de qua conscripserunt Matthæus et Marcus, nullam differentiam expositionis suæ facientes in uno [?] capitulo; alteram autem fuisse de qua scripsit Lucas; aliam autem de qua scripsit Joannes: quoniam differt ab aliis mulieribus . . . . Ex his ergo et aliis quæ et ipse poteris observare, certum est quoniam aut sibi contraria dicunt evangelistæ ut quidam eorum mentiantur; aut si hoc impium est credere, necesse est dicere non de eadem muliere omnes conscripsisse evangelistas, sed aut de tribus, aut de quatuor.“

τῶν μύρων ἐδωκεῖ, δι' ἣν Σίμωνι τῷ λεπρόῳ τῷ προτέρῳ λατὸν ὀνειδίζων ἔλεγεν ὅσα γέγραπται . . .“  
Ex hoc ad Matthæum loco Huetius l. l. efficit: „(Origenes) unum et eundem Simonem esse (leprosum et Phariseum), et ut multis argumentis vinci potest, unam consequenter, eandemque Mariam videtur credidisse.“ At modum transit. Tantum dici potest, Origenem hoc loco Simonem Phariseum et Simonem leprosum confundere, sive quod putaverit utramque unctionem apud eundem Simonem factam esse, sive quod memoria lapsus sit. Sæpe autem accidit, ut veteres memoria laberentur, cum libros non solerent conferre, præsertim si rem tractabant quasi prætereuntes. Accedit quod hæc omnia mystice dicta sunt.

<sup>1)</sup> in Commentariorum serie ed. Migne, Ser. Græc. tom. XIII. pag. 1721 sqq. (892).

<sup>2)</sup> Sequi putat Sollerius in Actt. Sanctt. l. l. pag. 188 E, ut primorum temporum communior sententia fuerit de una muliere: „De primorum“ inquit „seculorum communiori sententia testis est Origenes in Matth. hom. 35: Multi quidem . . .“ et pag. 196 D: „Pro primis seculis testimonium dicet Origenes, vulgatam nimirum eius tempore opinionem fuisse, quod una eademque mulier Christum unxisset in Naim et in Bethania.“ At alium de hac ipsa re apud Origenem locum non invenio nisi hunc et quem infra totum laudabo (pag. 12 annot. 3): „mulierum vel unius mulieris, sicut existimant multi.“ Tamen non nego, posse hunc locum sic explicari, si quidem voci „multi“ acriter opposita sit vox qualis est „ego vero“. Sed non satis constat, cum dicere pergat: „Dicam tamen ad eos qui arbitrantur unam fuisse mulierem de qua omnes evangelistæ scripserunt: Putas quod hæc mulier quæ effudit super caput Jesu pretiosum unguentum, sicut Matthæus et Marcus exposuerunt, ipsa et myrrha unxit pedes ipsius, sicut Lucas et Joannes exposuerunt? . . .“ Unum igitur hoc dici potest, illum testari, ea ætate multos putasse unam eandemque apud omnes Evangelistas esse unctricem. — Certe tamen veritatem excedit Baronius, cum in Annalibus Ecclesiasticis ann. Christi 32 n. 19 (ed. Coloniae Agrippinæ 1609, tom. I. pag. 137) non dubitat scribere: „Origenes [in Matth. tract. 35] testatur, complures, qui ante se vixerunt [!], scriptores Ecclesiasticos unam tantum, eandemque fuisse mulierem, quæ sæpius Jesum unxerit, esse professos; nec aliquem dicit existisse, qui de pluribus sententiam adstruere ausus sit.“ — Eadem fere scribit Vossius in Scholiis ad s. Ephraem Syri in mulierem peccatricem sermonem (Opp. omn. Coloniae 1603, pag. 717), et dicere pergit: „Et licet ipse aliquando Origenes tres, vel quattuor inter se distinctas fœminas, quæ Jesum unxerint, posuisse dicatur . . .“ — Nec minus modum excedit Isaacus Casaubonus „de Rebus sacris et ecclesiasticis exercitationes XVI ad Cardinalis Baronii Annales“ in exercit. XIV. anni 32 n. 17 (Londini 1614, pag. 335). „Origenes ait multos de una muliere dicta Evangelistarum accipere; non dicit omnes; et quia non dicit, eo ipso clamat contrarium esse verum; hoc est, multos aliter censuisse, ut ante posuimus.“

His igitur Origenes aperte dicit sibi quidem persuasum esse tres fuisse unctrices.<sup>1)</sup> Facile autem fieri potuit, ut, cum antea leviter hanc rem tangenti et memoriter duæ esse mulieres unctrices visæ essent, postea diligentius rem tractans atque ipsum locum interpretans intellegere sibi videretur, etiam mulierem, quæ apud Joannem est, distinguendam esse ab ea, quam Matthæus et Marcus commemorant. Et ne hoc quidem neglegendum esse videtur, quod in illis homiliis,<sup>2)</sup> ubi mystice loquitur,<sup>3)</sup> id unum spectabat, ut peccatricem mulierem discerneret a sancta.<sup>4)</sup>

Restat ut de iis dicendum sit, quæ in „Origenis de Maria Magdalena homilia“<sup>5)</sup> scripta sunt:<sup>6)</sup>

„Venerat autem Maria . . . , ut sicut antea pedes viventis unguento pretioso unxerat, sic et nunc totum corpus defuncti et unguento ungeret . . . et sicut prius . . . lacrymis suis pedes eius rigaverat pro morte animæ suæ . . . Olim te diligebat, olim a Phariseo te defendebat, et a sorore tua diligenter excusabat . . . O verax magister et fidelis, recordare testimonii quod olim reddidisti Marthæ sorori eius. Dixisti enim: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.“

<sup>1)</sup> Clarus cum l. l. pag. 52 scribit: „Auch muss Origenes dieselben (i. e. causas ab ipso ad Matth. prolatas) ebenfalls nicht für durchgreifend gehalten haben; denn in seinen Homilien über das hohe Lied nimmt er wieder nur zwei Frauen an“ nescire videtur, quo tempore commentarii in Matth. scripti sint. Nam scripti sunt c. a. 245: v. Möhler, Patrol. pag. 502 sq.; Ceillier, Hist. gén. des auteurs sacrés . . . tom. II. pag. 153 (Paris 1865); homiliae in Cant. Cant. scriptæ sunt a. 230: v. Ceillier, l. l. pag. 158; Migne, Ser. Græc. tom. XIII. pag. 59. Ex iis autem locis, qui exstant, hoc ultimo Origenes de hac re agit.

<sup>2)</sup> Fessler, l. l. tom. I. pag. 264: „Homiliae“ inquit „magis ad populi captum accommodatæ, et quoad partem saltem, ex tempore habitæ, nec fideli semper versione translatae non adeo magnam sibi vindicant auctoritatem; maxime vero ejus (Origenis) ingenium et eruditionem comprobant Commentarii, qui adhuc saltem ex parte extant.“

<sup>3)</sup> Cautionem quandam et diligentiam adhibendam esse in interpretandis patribus, ubi quis eorum mystice loquatur, cum ex multis locis apparet, tum ex iis verbis, quæ nulla sententia interposita illud „aut de tribus, aut de quatuor“ sequuntur (Migne, l. l. pag. 1723): „Dicet autem aliquis paulo audacior: Forsitan secundum historiam una quædam mulier fuit quæ tale aliquid fecit. Pone autem et alteram, si vis, et tertiam, tamen et principaliter evangelistarum propositum fuit respiciens ad mysteria, et non satis curaverunt ut secundum veritatem enarrarent historiæ, sed ut rerum mysteria quæ ex historia nascebantur, exponerent. Propter quod et attexuerunt quosdam sermones mysteriorum intellectibus convenientes et consonos. De his autem quæ apud quatuor exponuntur evangelistas causa mulierum vel unius mulieris, sicut existimant multi, diligentius tractavimus exponentes Evangelium secundum Joannem, quæ videbantur nobis, cum similia essent et cognata, quasi contraria et distantia.“ Ea de Joannis evangelio expositionis pars, qua Origenes de unctionibus locutus est (sine dubio enim locutus est ad cap. XI. aut XII.) periit, et ne latine quidem, ut ceteri loci huc spectantes, exstat.

<sup>4)</sup> Nec certe quisquam ideo Origenis auctoritatem reiciet, ut reiciat Natalis Beda testem sibi molestum Theophilum, qui cum primo dixisset, duas videri esse unctrices, addidit, si quis amplius attenderet, eas tres esse inventurum, l. l. (v. pag. 4 annot. 6) fol. 4 fin.: „Hoc“ inquit „non stat cum tertia parte, eiusdem auctoritate. Non enim esse potest, quod duæ mulieres tres sint.“

<sup>5)</sup> quæ etiam sic affertur: „in diversos homilia X.“

<sup>6)</sup> lat. ed. Genebrardus, Parisiis 1604, tom. II. pag. 291 sq. Apud Migne hanc homiliam non repperi.

Aperte hoc loco Maria Magdalena eadem esse dicitur atque peccatrix et Maria, Lazari soror. At hæc homilia non est Origenis.<sup>1)</sup>

Ab ipso Origene Maria Magdalena in hac de mulieribus unctricibus quæstione ne nominatur quidem.<sup>2)</sup>

Jam videndum est, quæ sit rei summa. Testatur Origenes, ea ætate multos existimasse, peccatricem fuisse Mariam, Lazari sororem; ipsi persuasum est, a tribus mulieribus Dominum esse unctum aliamque fuisse peccatricem atque Mariam, Lazari sororem. Idem addit, quod maximum est, quibus rationibus et illi multi adducti ita existimaverint et ipsius nitatur sententia. Apparet autem ex iis, quæ ad Matthæum dixit,<sup>3)</sup> hæc omnia in opinione posita esse, neque ullam de hac re acceptam memoriam.

Forsitan dixerit quispiam, illam, in qua illi multi fuerint, sententiam sermone hominum posteris traditam fuisse non iam sentientibus, unde manasset. Quod fieri potuisse non equidem nego; sed nihilo magis negari potest, ab evangelicis illis Harmoniis, quas constat facillime res confudisse, eius rei repetendam causam esse. Quas patuisse latissime multorumque in manus venisse, ex iis intellegi potest, quæ Theodoretus episcopus Cyrensis de Tatiani evangelio ex quattuor in unum composito scribit.<sup>4)</sup>

#### Eusebius Cæsariensis († c. a. 340).

In Cann. sive Indd. decem Harmoniæ Evangeliorum primo, quo proferuntur et componuntur quæ habent communia ss. Evangelistæ, — ut latinis utar numeri notis — hæc sunt<sup>5)</sup>:

<sup>1)</sup> v. Bellarminus, de Scriptoribus Ecclesiasticis Venetiis 1728, tom. VII. pag. 45 B, et ibi Labbens, pag. 46 D; Dupin, Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum Paris. 1692, tom. I. pag. 229; Möhler, Patrologie pag. 522; Permaneder, Bibliotheca Patristica tom. II. vol. I. part. II. pag. 536, § 448; Fessler, Institutt. Patrol. tom. I. pag. 263 annot. 3. — Et ne Sollerius quidem de hac homilia loquitur, ubi Origenis sententiam affert l. l. (edit. a. 1731) pag. 196 n. 50 D. Diversam tamen sententiam profert Baronius in Annal. anni 32 n. 20, neque addit rationes; ipse vehementer de scriptore Origene dubitaverat in Nott. ad Matyrol. Roman. Julii 22 fin. Tamen eum sequitur, ipse rem probare ne conans quidem, Ger. Vossius in Scholl. ad s. Ephraem l. l. pag. 716.

<sup>2)</sup> In Commentt. serie in Matth. (Migne tom. XIII. pag. 1795 [929]) scripta sunt hæc: „Multæ ergo erant expectantes tunc Jesum: præcipuæ autem nominatæ sunt, et quasi attentius spectantes, et amplius ministrantes, et melius sequentes, Maria Magdalena, magis interpretationi nominis patriæ suæ conveniens, quæ Magdalena appellatur. Interpretatur autem magnificatio locus ille. Et erat hæc Maria Magdalena de magnificatione propter nihil aliud nisi quia secuta fuerat Jesum, et ministraverat ei, et spectaverat mysterium passionis ipsius.“ Non dixit ne hoc quidem loco, quod ad hanc rem spectaret. Eum autem locum eodem nomine appellat Eusebius Cæsarensis in quæst. Evang. II. ad Marinum (Migne, Ser. Græc. tom. XXII. pag. 948): „ὅν οὐδὲν ἄτοπον ἐπὶ τῆς αὐτῆς Μαγδαληνῆς δύο Μαρίας ὁμαῖσθαι λέγειν.“

<sup>3)</sup> v. pag. 11.

<sup>4)</sup> In Hæreticar. Fabular. Compend. lib. I. XX. (Migne, Ser. Græc. tom. LXXXIII. pag. 372 [312]): „Ὅστις [ὁ Τατιανὸς] καὶ τὸ διὰ τεσσάρων καλούμενον συνέθεκεν [!] Εὐαγγέλιον, τὰς τε γενεαλογίας περικύψας, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα γεγεννημένον τὸν Κύριον δείκνυσιν. Ἐχρήσαντο δὲ τοῦτο, οὐ μόνον οἱ τῆς ἐκείνου συμμορίας, ἀλλὰ καὶ οἱ τοῖς ἀποστολικοῖς ἐπόμενοι δόγμασι, τὴν τῆς συνθέσεως κακουργίαν οὐ [!] ἐγνωκότιες, ἀλλ' ἀπλοῦστερον ὡς συντόμῳ τῷ βιβλίῳ χρησάμενοι. Εὐθρον δὲ καὶ πλείους ἢ διακοσίας βίβλους τοιαύτας ἐν ταῖς παρ' ἡμῶν ἐκκλησίαις τετιμήμενας, καὶ πάσας συναγωγὰς ἀπεθέμεν, καὶ τὰ τῶν τεσσάρων εὐαγγελιστῶν ἀντιστήσαν Εὐαγγέλιον.“

<sup>5)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XXII. pag. 1279.

Matth.  
CCLXXVI  
(xxvi, 6—13)

Marc.  
CLVIII  
(xiv, 3—9)

Luc.  
LXXIV  
(vii, 36—50)

Joan.  
XCVIII  
(xii, 1—8).

Et ne in decimo quidem canone, quo continentur quæ a Luca solo tradita sunt, mentio fit convivii a Simone Pharisæo instructi.<sup>1)</sup> Ex quo fit, ut Eusebius unam fuisse unctionem unamque unctricem existimasse videatur.<sup>2)</sup>

Alio loco, quo disputat de Magdalena, quæ ad sepulcrum Christi venerat, duasque fuisse Magdalenas putat, maximam occasionem nactus non dicit, alteram eorum peccatricem fuisse aut Mariam, Lazari sororem. Est in Quæstionum Evangelicarum quæst. II. ad Marinum<sup>3)</sup>: „Κάλλιον δὲ τὸ μὴ δὲ [!] σφάλμα αἰτιάσασθαι κατὰ τοὺς τόπους, δύο δὲ ἀληθῶς γεγονέναι τὰς Μαγδαληνὰς φάσκειν, ὥς καὶ τέσσαρας ἀπεδείξαμεν τὰς Μαρίας<sup>4)</sup> . . . ἑτέραν μὲν εἶναι τὴν ὁψὲ Σαββάτων παρὰ τῷ Ματθαίῳ Μαγδαληνὴν, ἑτέραν δὲ αὖτις καὶ αὐτὴν Μαγδαληνὴν τὴν παρὰ τῷ Ἰωάννῃ πρωτῆς ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἐλθοῦσαν ταύτην δὲ εἶναι τὴν καὶ παρὰ τῷ Μάρκῳ δηλουμένην, κατὰ τινὰ τῶν ἀντιγράφων, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἐπὶ δαιμόνιᾳ καὶ ταύτην εἶδος εἶναι τὴν ἀκούσαν Μὴ μου ἄπτον, ἀλλ' οὐ τὴν παρὰ τῷ Ματθαίῳ· εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα κακεῖνη ἀπὸ τῆς Μαγδαληνῆς ὠρμαῖτο, ἀλλ' οὐ τὰ ὁμοία καὶ αὐτῆς ἢ θεία κατηγορεῖ Γραφή.“<sup>5)</sup>

Titus Bostrensis († c. a. 378).

Sub Titi nomine scripta videmus hæc in Maxima bibliotheca veterum Patrum: <sup>6)</sup>

„Hæc mulier, neque ea est, cuius fit mentio apud Matthæum nec ea rursum, cuius apud Marcum; nec ea tandem, cuius apud Joannem: Siquidem illæ paulo ante Dominicam Passionem fecerunt, quæ fecisse scribuntur, hæc autem circa Evangelicæ prædicationis medium, aut citius quoque, ut facile quis, si eam in rem curiose inquirere vellet, deprehendere posset.“

<sup>1)</sup> Migne, l. l. pag. 1289.

<sup>2)</sup> Quamquam non est dubium, quin de ipsius Eusebii de hac re sententia magis constaret, si in componendis s. scripturæ locis non secutus esset Ammonium: v. Möhler, Patrol. pag. 586: „Eusebius, der in der Bibliothek zu Cäsarea einen Codex dieser ammonianischen Harmonie vorfand, wendete diese canones mit einiger Verbesserung auf die Eintheilung des Textes ohne Vereinigung der Evangelien in Eines an, wie sie in unseren Handschriften und älteren Editionen noch anzutreffen sind.“

<sup>3)</sup> Migne, l. l. pag. 948.

<sup>4)</sup> In eadem quæstione pag. 945: „Τέσσαρας γοῦν τὰς πάσας Μαρίας παρούσας τῷ πάθει τοῦ Σωτῆρος μετὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν εὐρίσκομεν· πρωτὸν μὲν οὖν τὴν Θεοτόκον τὴν αὐτοῦ τοῦ Σωτῆρος μητέρα· δευτέραν δὲ τὴν ταύτης ἀδελφὴν Μαρίαν, τὴν τοῦ Κλωπᾶ· εἴτα τρίτην Μαρίαν τὴν Μαγδαληνὴν καὶ τετάρτην τὴν Ἰακώβου καὶ Ἰωσήφ μητέρα.“ Ex quo, cum additum sit illud τῷ πάθει τοῦ Σωτῆρος, nihil potest effici ad hanc quæstionem solvendam.

<sup>5)</sup> Illud „ἢ θεία κατηγορεῖ Γραφή“ quid sibi velit, apparet ex iis ipsis, quæ attuli, Eusebii verbis, qui etiam, quod Dominus dixerit: Μὴ μου ἄπτον, Magdalene vituperationi fuisse aperte dicit l. l. pag. 949: „οὕτω τὴν κλαίονσαν καὶ δόξασαν αὐτὸν εἶναι τὸν κηπουρὸν, διὰ μὲν τοῦ Μὴ μου ἄπτον ἀπέστρεφεν ἐπιπλήττων αὐτῇ· ὥς καὶ διὰ τοῦ γυναῖκα καλεῖν, καὶ διὰ τοῦ λέγειν, Τί κλαίεις;“

<sup>6)</sup> Lugduni 1677, tom. IV. pag. 425 A, ad Luc. cap. VII.

Hæc qui scripsit existimasse videtur quattuor unctrices fuisse, sed Titus non scripsit.<sup>1)</sup> Fuisse qui putarent, quot Evangelistæ essent, tot esse unctrices, testatur Photius.<sup>2)</sup>

**S. Ephraem Syrus († c. a. 379).**

Faillon in hanc rem gravissimum laudat auctorem Ephraem Syrum additque:<sup>3)</sup> „il supposait dans les quatre récits un même fait, une seule onction, une seule femme, qui est Marie sœur de Marthe et la pécheresse.“ Et recte; nam Ephraem in „Parænesi quarta“;<sup>4)</sup> qua omni de muliere peccatrice agitur, multis locis satis aperte dicit, unam eandemque ab omnibus Evangelistis describi unctionem.<sup>5)</sup>

Idem Faillon dicit:<sup>6)</sup> „Cette même pécheresse était Marie; car c'est ainsi qu'il la nomme, comme on l'a vu déjà. Or, saint Ephrem ajoute que la même Marie sœur de Marthe et de Lazare, et la pécheresse tout ensemble, avait été possédée par sept démons, comme saint Marc et saint Luc le disent de Marie-Madeleine; et qu'enfin cette même pécheresse mérita d'être arrivée aux apôtres et aux évangélistes, c'est-à-dire qu'elle reçut le commandement d'annoncer aux apôtres la résurrection de Jésus-Christ, et de leur prophétiser son ascension: autre circonstance propre à sainte Marie-Madeleine.“ Quod si ita est, in controversia esse non potest, quin Ephraem existimaverit, peccatricem Mariam, Lazari sororem, eandem esse atque Mariam Magdalenam. Sed vereor ne res non tam sit in aperto.

<sup>1)</sup> v. Ceillier, l. l. tom. IV. pag. 343 et 344 (Paris 1865): „Personne ne disconvient aujourd'hui que le commentaire sur saint Luc, qui porte le nom de Tite de Bostres, ne soit d'un auteur beaucoup plus récent. . . . On ne peut donc guère le placer que dans le VII<sup>me</sup> ou le VIII<sup>me</sup> siècle, et la manière dont ce commentaire est composé est assez du goût de ces temps-là, où la plupart des commentateurs ne faisaient qu'emprunter les pensées et même les paroles de ceux qui avaient auparavant expliqué les divines Écritures.“ Addit editor: „Ang. Mai le croit seulement interpolé. Voy. Script. veter. tom. I. præf. sur la Chaîne des Pères.“ — Apud Migne nihil repperi nisi hoc: „Cæterum de Commentariis in Lucam eius nomine inscriptis, nos alias opportunius“ tom. XVIII. pag. 1068.

<sup>2)</sup> ad Amphiloichium quest. XLVIII. (al. XLVII.) (Migne, tom. CI. pag. 357): „Οὐχὶ τὴν αὐτὴν ἐδίδασκεν προΐουσαν δόξαν παρ' οἷς ταῦτα διεφενέσθαι γέγονεν ἢ σπουδῇ. Οἱ μὲν γὰρ ἀπλούστερον καὶ ἐπιπολαιότερον, ἵνα μὴ ἀμαθέστερον εἴπω, τῇ διαφόρῃ κλήσει τῶν ἀναγραφαιμένων τὴν ἱστορίαν ταύτην καὶ τὰ τῶν γυναικῶν συνδιαφοῦσι πρόσωπα. Καὶ τέσσαρας ταύτας εἶναι φασί, πρὸς οὐδέν, οἶμαι, βεβότερον λογισμὸν ἐπιστήσαντες, ἢ πρὸς μόνην τὴν τῶν εὐαγγελισμένων ποσότητα.“ cf. quæ Origenes dicit pag. 11.

<sup>3)</sup> Monuments inédits . . . tom. I. pag. 87.

<sup>4)</sup> in „Sancti Patris nostri Ephraem Syri Opp. omn. tom. III. syriace et latine Romæ ex typographia Pontificia Vaticana 1743,“ pag. 387—412.

<sup>5)</sup> velut pag. 395: „Quid? quod et Apostolis suis mandavit, ut quod ab illa factum cernebant, in memoriam eius ubique gentium divulgarent.“ (Matth. XXVI, 13; Marc. XIV, 9); „At qui sciebat mulieris conditionem et statum . . . Improbam procacem feminam“ . . . (Luc. VII, 37); pag. 401: „Porro . . . exoticum unguentum protulit, profuditque super caput Medici coram discumbentis“ . . . (Matth. XXVI, 7; Marc. XIV, 3); „Nec porro mysterio vacat, quod eodem unguento Christi quoque pedes mulier illivit.“ (Luc. VII, 38; Joan. XII, 3); pag. 410: „At Judas Magistri proditor sui . . . Et ad quid, dixit, perditio hæc?“ (Joan. XII, 4). Idem scriptum est in homilia „in Meretricem“ in Ephraem opp. tom. III. græce et latine Romæ 1746 (v. pag. 395), et in homilia „in Mulierem peccatricem“ in eiusdem opp. tom. II. græce et latine Romæ 1743 (v. pag. 298 et pag. 306). Sed „inter Opera dubia s. Ephraem referri debet Sermo uterque in mulierem peccatricem, quæ unguento Dominum unxit.“ Fessler, l. l. tom. II. pag. 39 annot. 1.

<sup>6)</sup> l. l. pag. 146.

Ac primum quidem — ut omittam, illud „tu autem exaudi me, redemptor meus, ut illam peccatricem Mariam“, quod profert Faillon in annotatione, me quidem non legisse scriptum in ea editione, quæ Romæ prodiit, quam ipse laudat<sup>1)</sup> — de dæmonibus quæ scripsit Ephraem, hæc sunt:<sup>2)</sup> „Sic facta familiæ dedecus, patrium etiam solum dedecoravit. Scilicet septem dæmonia luxuriæ duces eam invaserant, nec proinde mirum, si incurrentes . . . ad flagitium frequenter illexit illa, quæ velut . . . turpitudinis stabulum se fecerat“ et altero loco:<sup>3)</sup> „Diabolus suo me subdidit jugo, suæque addixit servituti; tu, qui meus es legitimus et verus herus, vindica me, tuisque restitue obsequiis. Notus ille plagiarius me procul a patrio solo abduxit, et inter salebras et abrupta diu cum illo versata sum. Nostræ salutis magne Reparator, annue mihi in tuam arcem ingressum, et in ea perfugium.“ In interpretandis his locis non neglegendum est id, quod est scriptor orationis figuris creber et distinctus et qui summo colore res illustrat.<sup>4)</sup> Sæpissime autem veteres hac in re diaboli imagine utuntur. Plus admirationis habere potest quod altero quidem loco septem nominantur dæmones, quoniam Maria Magdalena est ea, „ἡ δὲ ἑξ δαιμόνια ἐπὶ ἐξελήλυθει.“<sup>5)</sup> Tamen cum nemo inveniatur, qui antea aut eo ipso tempore aperte dixerit, Mariam Magdalenam eandem esse atque Mariam, Lazari sororem, hæc verba obscuriora esse videntur, quam ut ex iis effici possit, Ephraem in ea ipsa fuisse sententia, præsertim cum s. scriptura etiam alio loco septem dæmones habeat.<sup>6)</sup> — Idem dicendum esse puto de iis, quæ Faillon ad extremum disputat. Nam Ephraem de ea re nihil dicit nisi hæc:<sup>7)</sup> „qui factum dicamus, ut vitæ sanctitate et virtutis studio Apostolorum et Evangelistarum gloriam in fine adæquaverit? . . . quæ nuper erat scopulus et lapis offensionis multorum naufragio, et mire infamis, modo Apostolorum ædificio inserta aurea luce rutilat: fera fuit, Pastorum Principem petebat, ut vidit, in ovem conversa est, meruitque sacro adoptari gregi: quæ ante puram castamque vitam fugerat, jacueratque cooperta vitiis, a Christo nuper exculta, formosarum antistes evasit: mulieris semper eo contendere suetæ, quo furor rapuit, en hodie laudes recinit Evangelium, suavissimum utique piorum auribus melos.“ Nugatur igitur sine dubio Clarus, cum scribit:<sup>8)</sup> „Nirgends hat Gregor sich so bestimmt über die Einerleiheit Marien Magdalenens mit den übrigen beiden Frauen ausgesprochen.“<sup>9)</sup>

<sup>1)</sup> l. l. pag. 87, ubi dicit: „Au troisième tome de ses œuvres syriaques, imprimées à Rome dans le siècle dernier.“ Et ne Lazari-quidem aut Marthæ invenitur nomen.

<sup>2)</sup> l. l. pag. 396.

<sup>3)</sup> l. l. pag. 398.

<sup>4)</sup> Etiam illud „me procul a patrio solo abduxit“ per translationem dictum esse, ex iis apparet, quæ statim sequuntur. Quod nisi ita esset, intellegi posset hoc, Mariam, ut totam se libidinibus dederet, relicta Bethania in alium locum migrasse, verbi causa Magdalum.

<sup>5)</sup> Luc. VIII, 2.

<sup>6)</sup> Matth. XII, 45: „ὅτι πορεύεται καὶ παραλαμβάνει μεθ' ἐαυτοῦ ἑτέρα πνεύματα πονηρότερα ἐαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ.“

<sup>7)</sup> l. l. pag. 408.

<sup>8)</sup> l. l. pag. 73.

<sup>9)</sup> S. Gregorius († a. 604) in Homiliarum in Evangelia lib. II. homil. XXV. hæc dicit (Migne, Ser. Lat. tom. LXXVI. pag. 1189 [1544]): „Maria Magdalene quæ fuerat in civitate peccatrix“ et homil. XXXIII. (Migne, l. l. pag. 1239 [1592]): „Hanc vero quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus de qua Marcus septem dæmonia eiecta fuisse testatur.“

## S. Basilius Magnus († a. 379).

In libro de virginitate, quem tamen constat non a Basilio scriptum esse,<sup>1)</sup> inveniuntur hæc, quibus sine ulla dubitatione Maria, Lazari soror, non discernitur a peccatrice:<sup>2)</sup>

„Επει καὶ ἡ Μαρία τοὺς πόδας τοῦ Κυρίου φιλοῦσα ... ἐφίλει τοῖς μὲν δάκρυσι τὴν παλαιὰν τῆς πυρκαϊᾶς ἡδονὴν ἐν αὐτῇ φρονίμως κατασβεγνύουσα τε καὶ μαραίνουσα, τῇ δὲ περὶ τὸν Κύριον διαθέσει καὶ τοῖς ἁγίοις φιλήμασι τὸ ἐν τῇ ψυχῇ πνεῦμα φρονίμως ἀνάπτουσα.“ Εἷη μὲν οὖν πνεύματι, καὶ πνεύματι στοιχοῦσα, καὶ περὶ τὸν νυμφίον ἅπαντα ὑπὲρ τῶν ἑαυτῆς ἁμαρτιῶν μετὰ συνέσεως πράττουσα.“

Eiusdem Basilii fertur homilia esse de pœnitentia (non recte, ut videtur),<sup>3)</sup> in qua is, qui scripsit, peccatricem commemorat neque quidquam dicit, quo videri possit putare, eandem peccatricem fuisse atque Mariam, Lazari sororem (aut Magdalenam).<sup>4)</sup>

## Apolinarius Laodicens († c. a. 380).

Photius ad Amphilochem in quæstione XLVIII. [al. XLVII.] „Πόσαι εἰσὶν αἱ τὸν Κύριον ἀλείψασαι μύρον;“ cum alia tum hæc scribit<sup>5)</sup>: „Οἱ δὲ καὶ πρὸς μίαν πάσας συνάγουσιν, οὐδεμίαν τῇ δόξῃ ἀσφάλειαν περιθέμενοι· ἀλλ' οὐδ' ἀπὸ τῆς τῶν προσώπων ποιότητος τῆς τοιαύτης ὑπολήψεως ἐπιφερομένης τὸ αἰδέσθαι. Ἀπολλινάριος γὰρ καὶ ὁ Μοψουεστίας Θεόδωρος ταύτης εἰσὶν οἱ γεννήτορες.“<sup>6)</sup>

„Ex plurimis autem Apollinarii Operibus hodie præter Fragmenta complura nonnisi extat brevis Interpretatio (μετάφρασις) Psalmorum heroicis versibus satis eleganter contexta“<sup>7)</sup> in tomo XXXIII. ed. Migne. Apud quem nihil reperio, quod pertineat ad id quod dicit Photius; at tale quid scriptum esse dicitur in Catena Græcorum patrum in s. Joan. cap. XII.<sup>8)</sup> quod profert Faillon:<sup>9)</sup> „Apollinarii: Maria refert typum Ecclesiæ ex gentibus

<sup>1)</sup> v. Fessler, l. I. tom. I. pag. 532 annot. 5: „tum ob testimoniorum defectum, tum ob insignem styli dissimilitudinem manifestamque temporum repugnantiam, demum ob ipsum argumentum, quod nonnullis in locis tam sanctum prudentemque Episcopum plane dedecet.“ Editores Maurini, quamquam ipsi quoque hunc librum non esse Basilii putant, tamen non idem sentiunt, cum in Monit. in hunc librum in Appendice operum S. Basilii (Paris. 1839, tom. III. part. II. pag. 840) scribunt: „Hoc opus commendat antiquitas. Scriptum est enim quarto sæculo.“

<sup>2)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XXX. pag. 776 (52).

<sup>3)</sup> v. Fessler, l. I. tom. I. pag. 530.

<sup>4)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XXXI. pag. 1481 (606): „Εἰσῆλθεν (Ἰησοῦς) εἰς οἶκον Φαρισαίου κληθεὶς· ἐπεισῆλθεν αὐτῷ ἁμαρτωλὸς γυνὴ μὴ κληθεῖσα. Εἶδε τὴν ἁμαρτιαν, προσῆλθε τῇ δικαιοσύνῃ· εἶδε τὴν νόσον, ἀπῆλθεν ὅπου ὁ ἰατρός. Προσῆλθεν οὐ πρὸς προσώπῳ, οὐ γὰρ εἶχε παθήσιν· οὐκ ἐκράτησεν αὐτοῦ χεῖρα, οὐ γὰρ ἐτόλμα· ἀλλ' ἐπὶ τοὺς πόδας, οὓς τοῖς δάκρυσι ἐπλυνεν, ἐξέβαλε τὰς τρίχας τότε μόνον καλῶς, τὰς πολλὰς κακῶς φανεῖσας τότε καλῶς ἐγύμνωσεν.“

<sup>5)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. CI. pag. 357.

<sup>6)</sup> Idem antea dixerat Victor Antiochenus, si quidem ille scripsit Catenam in Marcum (v. Fessler, l. I. tom. II. pag. 569), ad cap. XIV. Evang. Marci, qui locus est in Maxima bibliotheca veterum Patrum, Lugduni 1677, tom. IV. pag. 406: „Apollinarius tandem et Theodorus eandem apud omnes Evangelistas describi aiunt, Joannem vero historiam illam cæteris accuratius persecutum.“

<sup>7)</sup> Fessler, l. I. tom. II. pag. 4 annot. 2.

<sup>8)</sup> gr. et lat. ed. Corderius, Antverpiæ 1630, pag. 302.

<sup>9)</sup> l. I. tom. I. pag. 147.

(utpote a dæmonibus liberatæ, sicut ex hac septem dæmonia egressa sunt), quæ instar odoris suavissimi fidem Christi morti defert, eiusdemque virtute caput suum studio et amore eius salutare imbuens, mundum hunc universum odoris suavitate replevit, quemadmodum et Paulus, Christi, inquit, bonus odor sumus Deo.“ Negari non potest, videri posse hoc loco designari Mariam, Lazari sororem, de qua unguente s. Joannes scribit in cap. xii, 3: „ἡ δὲ οἰκία ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὁσμῆς τοῦ μύρου,“ eandemque dici atque Mariam Magdalenam, „ἀφ’ ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξελλύθη.“<sup>1)</sup> Sed Photius hunc locum sine dubio intuitus non est, cum non dictum sit quidquam neque ab ipso de Magdalena neque ab Apolinario de peccatrice. Atque ut non dicam, mystice id esse scriptum, non neglegendum est ne id quidem, quod de Catenis illis iudicat Fessler.<sup>2)</sup>

#### S. Macarius Aegyptius († c. a. 390).

In Homil. xii. n. xvi.<sup>3)</sup>: „Ἐρώτησις. Τί ἐστὶν ὃ ἡ Μάρθα εἶπε τῷ Κυρίῳ περὶ τῆς Μαρίας, ὅτι Ἐγὼ κάμνω εἰς πολλὰ, καὶ αὕτη παρακαθέζεται σοι; Ἀπόκρισις . . . Καὶ τῇ Μαρίᾳ γὰρ ἀγαπώσῃ αὐτὸν, καὶ παρακαθεζομένη παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, οὐκ ἀπλῶς προσετέθη, ἀλλὰ δυνάμιν τινα κρυφιαίαν ἐκ τῆς αὐτοῦ οὐσίας ἔδωκεν αὐτῇ. Αὐτοὶ γὰρ οἱ λόγοι, οὓς ἐλάλει ὁ Θεὸς μετὰ εἰρήνης τῇ Μαρίᾳ, πνεύματα ἦσαν καὶ δυνάμεις τις . . .“ n. xvii.: „Καὶ τί θαυμαστὸν, εἰ οἱ προσερχόμενοι τῷ Κυρίῳ, καὶ προσκολλώμενοι σωματικῶς ἐλάβανον δυνάμιν, ὅποτε οἱ ἀπόστολοι ἐλάλουν λόγον, καὶ ἐπιπτεν ἐπὶ τοὺς πιστεύοντας τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον; ὁ Κορνήλιος ἐκ τοῦ λόγου οὗ ἤκουσεν ἔλαβεν δυνάμιν· πόσῳ μᾶλλον ὁ Κύριος ὅτε ἐλάλει λόγον τῇ Μαρίᾳ, ἢ τῷ Ζαχαρίῳ, ἢ τῇ ἁμαρτωλῷ, ἢ τις λιπάρῃ τὰς τρίχας, ἀπέμασσε τοὺς πόδας τοῦ Κυρίου ἢ τῇ Σαμαρίτιδι, ἢ τῇ ληστῇ, ἐγένετο δυνάμεις, καὶ συνεκράσθη ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον“ aperte Maria, Lazari soror, a peccatrice distinguitur.<sup>4)</sup> Sed hæc homiliæ a Macario Aegyptio non esse scriptæ videntur.<sup>5)</sup>

#### S. Gregorius Nazianzenus († a. 389).

Carminum lib. I. Theol. Sect. I. Poemat. dogmat. c. xxii, ubi enumerantur „Miracula Christi secundum Lucam,“ habet hæc:<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Luc. VIII, 2.

<sup>2)</sup> I. I. tom. I. pag. 135 et 136: „Neque tamen nimia ejusmodi centonum consarcinatoribus, ex virorum doctorum unanimi consensu fides habenda est, præsertim Græcis, qui in isto scriptionis genere maxime allaborarunt; negari enim nequit, Græculos recentiores permulta proprio Marte hisce operibus attenuisse indeque sub Patrum Ecclesiæ nomine in vulgus edidisse, atque hujusmodi compilatores nec satis exquisiti iudicii, nec satis accuratæ fidei esse . . . quapropter eruditi recte monent caute ipsis et circumspicte utendum esse parumque inesse auctoritatis.“

<sup>3)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XXXIV. pag. 568.

<sup>4)</sup> Nescio an mirum esse videatur quod Maria, Lazari soror, una cum Zachæo, peccatrice, ceteris nominatur; sed id quidem certum est, hos ipsos luculentissimo rem comprobare exemplo.

<sup>5)</sup> v. Fessler, I. I. tom. I. pag. 654: „hand immerito tamen maxime ob silentium Veterum omnium et vestigia Semipelagianismi illic obvia dubitatur, utrum S. Macarius Aegyptius, an junior quidam auctor, hæresi Semipelagianæ plus justo favens, verus Homiliarum et Opusculorum auctor sit habendus.“

<sup>6)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XXXVII. pag. 492 et 493.

Λουκᾶς δ' Ἑλλάδι σεπτὰ Θεοῦ τάδε θαύματ' ἔγραψε,  
 Παύλῳ θαρσαλέος Χριστοῦ μεγάλῳ θεράποντι.  
 Δαίμων καὶ πυρετὸς καὶ λέπρα καὶ παράλυσις  
 Εἴξε λόγῳ καὶ χεὶρ τεύχεται καρφαλὴν.  
 Εἴθ' ἑκατοντάροχοιο λελυμένον ἤδρασε παῖδα.  
 Χήρῃ τ' ἐκ νεκρῶν ἐν Ναῦμ νῆα πόρε.  
 Τὴν δὲ μύρῳ χρίσασαν ἄγνοὺς πόδας ἤγνισε μύθῳ  
 Καὶ στήσεν ἀνέμους, καὶ λεγεῶνα μέγαν.

Hos versus qui legat, eius animum puto facile inclinare, ut potius credat Gregorium discernere Mariam Magdalenam (δαίμων) et peccatricem et Mariam, Lazari sororem; sed potest de ea re dubitari.

### S. Amphilochius Iconiensis († c. a. 394).

Ad Amphilochium referuntur Homiliae octo, quae utrum ab ipso scriptae sint necne, non satis constat. In quarta earum,<sup>1)</sup> quae est „in Mulierem peccatricem, quae unxit Dominum unguento, et in Pharisaeum,“ Maria, Lazari soror, eadem fuisse dicitur quae peccatrix:<sup>2)</sup> „Τί συνεφωνήσατε (72) σὺ (appellat pharisaeum) καὶ Ἰούδας πειρᾶσαι τὸν Κύριον; Σὺ μὲν γὰρ ὡς καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου, ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι διασύρων τὸν ἄνθρωπον (id est peccatricem), ἄγνοιαν καταψηφίζῃ Θεοῦ· ὁ δὲ, ὡς φιλόπτωχος ἀγαπατεῖ λέγων, Τίς ἡ ἀπώλεια ... (75) Ἀλλ' ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐλέγχει αὐτοῦ τὴν νόσον .. ἀλλ' ἐπὶ πάντας λέγει· Τί κόπους παρέχετε τῇ γυναικί; ... Τοὺς πτωχοὺς γὰρ πάντοτε ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν .. Βαλοῦσα γὰρ αὕτη τὸ μύρον ἐπὶ τοῦ σώματός μου, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με πεποίηκεν ... (76) ταύτης δὲ ἡ μνήμη, ὅπου ἂν κηρυχθῇ τὸ Εὐαγγέλιον, ἀνεξάλειπτός ἐστιν.“<sup>3)</sup>

Idem scriptor existimare videtur, bis ab eadem Maria Dominum unctum esse, cum dicit in homilia (III) in Lazarum quatruiduanum:<sup>4)</sup> „Ὁ δὲ Κύριος πρὸς τὴν Μάρθαν ... Ἐμοὶ λέγεις, Ἥδη ὄζει; Ἡ ἀδελφὴ σου μυρίζει, καὶ σὺ καπνίζῃ ἐν τῇ ἀπιστίᾳ;“ Nam s. Joannes tradit, Mariam Dominum unxisse Bethaniae, „ὅπου ἦν Ἀάζαρος, ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν ὁ Ἰησοῦς.“<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Migne, Ser. Graec. tom. XXXIX. pag. 66 annot. 54: „Neque illam (homiliam) praetermisit Mont-fauconius in sua eiusdem Chrysostomi editione: exstatque in appendice ad tom. X. pag. 799—806, absque nomine auctoris: quam tamen Amphilochio tribuit doctissimus editor tom. XIII. in indice, v. Ἰκανῶς.“ Dissentit Fessler, cum scribit l. l. tom. I. pag. 631: „Denique saltem dubiae seu longe verisimilium spuriae censendae sunt Homiliae octo, quae Amphilochii nomine circumferuntur; istae potius ad juniorem quemdam Amphilochium, sive Sidensem in Pamphilia (saec. V.), sive Cyzicenum (saec. IX.) spectare videntur.“ Quaestio vix esse videtur Hefele, qui dicit apud Wetzler und Welte, tom. I. pag. 213: „Unter den Predigten aber sind besonders die vierte und achte unecht.“

<sup>2)</sup> Migne l. l. pag. 81.

<sup>3)</sup> Aliquid offensionis habent ea, quae scripta videmus in eadem homilia pag. 76 (67): „Ἀλλὰ τί αἰτήσω προσελθοῦσα; Ὁφθαλμῶν ὑγίειαν; Ἀλλὰ πρόσκαιρος ἡ χάρις. Νόσον ἀπαλλαγὴν; Ἀλλὰ μικρὸν τὸ κατόρθωμά· ὁ γὰρ αἰώνιος θάνατος τοῦ παρόντος ἐστὶ βαρύτερος. Πάντα παρήσω τὰ τοῦ σώματος. Τὸ δὲ τῆς ψυχῆς ἐπιζητήσω ἱάμα.“

<sup>4)</sup> Migne, l. l. pag. 64 (46).

<sup>5)</sup> cap. XII, 1.

## S. Gregorius Nyssenus († c. a. 395).

Simonem leprosum Gregorius non discernit a Simone pharisæo in prima in Canticum Canticorum homilia, ubi hæc scribit:<sup>1)</sup>

„Αὐτό μοι δοκεῖ τῷ λεπρῷ Σίμωνι τὸ τοιοῦτον ὀνειδιστικῶς προφέρειν ὁ Κύριος, ὅτι Φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας. Ἡ γὰρ ἂν ἐκαθαρίσθη τοῦ πάθους τῷ στόματι σπώντας τὴν καθαρότητα. Ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν, εἰκότως ἀνέραςτος ἦν, ὑπερσαρκήσας διὰ τῆς νόσου πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπιθυμίαν, μένων ὑπὸ τοῦ πάθους ἀκένωτος. Ἡ δὲ κεκαθαυμένη ψυχὴ, μηδεμιᾶς σαρκώδους λέπρας ἐπιπροσθούσης, βλέπει τὸν τῶν ἀγαθῶν θησαυρὸν ὄνομα δὲ ἐστὶ τῷ θησαυρῷ ἡ καρδιά.“

Sed hinc colligi non potest, eundem putare unam fuisse unctionem unamque unctricem.<sup>2)</sup> — Difficile autem est eum locum explicare, qui est in altera oratione in Christi resurrectionem:<sup>3)</sup> „Ἐπειδὴ δὲ πολλῶν Μαρῶν ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις φέρεται μνήμη, τρεῖς εἶναι τὰς πάσας γινώσκωμεν, ὅσας ὁ Ἰωάννης συλλήβδην ἠρτίσθησε φήσας· Εἴστιν· κείσιν δὲ παρὰ τῷ σταυρῷ τοῦ Ἰησοῦ ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, Μαρία ἡ τοῦ Κλεόφα, καὶ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ. Μαριάμ γὰρ τὴν Ἰακώβου καὶ Ἰωσὴ μητέρα παρὰ τοῖς ἄλλοις εὐαγγελισταῖς ὀνομασμένην τὴν Θεοτόκον εἶναι, καὶ οὐκ ἄλλην, πεπιστεύκαμεν.“<sup>4)</sup> Nam neque facile fieri potuit, ut neglegentia præteriretur Maria, Lazari soror, neque facile quemquam adduci puto ut credat, eandem dixisse scriptorem Mariam Magdalenam et Mariam, Lazari sororem, ut nihil adderet in re scriptoribus, ut videtur quidem, nova aut pæne nova. Quæ cum ita sint, nescio an simul audiendum sit „παρουσῶν τῷ πάθει vel τῇ ἀναστάσει,“ de qua resurrectione hæc oratio habita est (v. quæ dicta sunt ad Eusebium Cæsariensem pag. 14 annot. 4); nominantur autem apud Matthæum cap. xxviii, 1: Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, apud Marcum cap. xvi, 1: Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου, apud Lucam cap. xxiv, 10: ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία . . . καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου, apud Joannem cap. xx, 1: Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ et 11: Μαρία . . . Uteunque autem ea res se habet, non est hæc quidem oratio Gregorii Nysseni.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XLIV. pag. 780.

<sup>2)</sup> Et ne ex iis quidem, quæ sunt in oratione in Christi resurrectionem prima, efficitur Gregorium Mariam Magdalenam dixisse peccatricem: v. Migne, tom. XLVI. pag. 625: „Ἀκούσωμεν τί εὐαγγελίζεται καὶ ἡ γυνὴ ἡ προλαβοῦσα τὸν ἄνδρα διὰ τῆς πίστεως, καὶ καλῶς τοῦτο ποιήσασα, ἵνα διὰ τοῦ κατάρ-  
ξασθαι πρὸς τὸ ἀγαθὸν περὶ τῆς τοῦ κακοῦ αἰτίας ἀπολογήσεται.“ Non enim de ipsius Magdalenæ peccatis eum loqui, luce clarius est. Hanc autem veram Gregorii orationem esse dicit Fessler, l. l. tom. I. pag. 614 annot. 2.

<sup>3)</sup> Migne, l. l. pag. 645.

<sup>4)</sup> Eadem verba exceptis quattuor extremis, pro quibus scriptum est „μεμαθήκαμεν“, sunt Anastasii Sinaitæ († c. a. 700) in quæstione CLIII. (Migne, Ser. Græc. tom. LXXXIX. pag. 809), de quo Alzog, Grundriss der Patrologie, Freiburg 1869, pag. 401 hæc scribit: „... zeigt es sich, dass . . . die Schriftsteller dieser Periode bei vielem Guten und Zweckmässigen das gegebene Material anfangen auszubeuten, und in vielfach nur äusserlich compilatorischer Weise zu verarbeiten.“

<sup>5)</sup> v. Ceillier, l. l. tom. VI. pag. 203, qui addit: „Le père Combefis attribue à Hésychius, prêtre de Jérusalem [sæc. V.], le second discours sur la Résurrection.“ Recte autem id ab eo dictum esse censet Fessler, l. l. tom. I. pag. 615 annot. 1.

## S. Joannes Chrysostomus († a. 407).

Duobus locis s. Chrysostomus hanc controversiam quasi disceptat. Ac primum quidem in homilia LXXX. [al. LXXXI.] in Matthæum hæc scripta sunt: <sup>1)</sup>

„Ἡ γυνή αὕτη δοκεῖ μὲν εἶναι μία καὶ ἡ αὕτη παρὰ τοῖς εὐαγγελισταῖς ἅπασιν, οὐκ ἔστι δέ· ἀλλὰ παρὰ μὲν τοῖς τρισὶ μία τις εἶναι μοι δοκεῖ καὶ ἡ αὕτη· παρὰ δὲ τῷ Ἰωάννῃ οὐκ ἐστὶν· ἀλλ’ ἐτέρα τις θανμαστή, ἡ τοῦ Ἀζάρου ἀδελφή.“

Aperte igitur dicit, se quidem existimare duas fuisse mulieres unctrices, quarum altera et sancta sit apud Joannem, altera et impia apud reliquos tres. At non idem dixisse dicitur <sup>2)</sup> in homilia LXII. [al. LXI.] in Joannem: <sup>3)</sup>

„Πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων διὰ τὴν ἰδωσὶ τινὰς τῶν ἀρεσκόντων Θεῷ πάσχοντάς τι δεινὸν . . . σκανδαλίζονται . . . Καὶ τὰς ἀδελφὰς δὲ αὐτοῦ (i. e. Ἀζάρου) ἡμᾶς διδάσκει χρησίμως· καὶ ἔτι ὁ πλεόν εἶχε Μαρία, ἐπάγων καὶ λέγων· Ἦν δὲ Μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν Κύριον μύρῳ. Ἐνταῦθά τινες διαποροῦντες, Πῶς, φησὶν, ἠγέσχετο ὁ Χριστὸς γυναικὸς τοιαῦτα ποιούσης; Πρῶτον μὲν οὖν ἐκεῖνο ἀναγκαῖον μαθεῖν, ὅτι οὐκ αὕτη ἐστὶν ἡ πόρνη ἡ ἐν τῷ Ματθαίῳ, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ Λουκᾷ· ἄλλη γὰρ αὕτη. Ἐκεῖναι μὲν γὰρ πόρναι δὴ τινες ἦσαν, καὶ πολλῶν γέμουσαι κακῶν· αὕτη δὲ καὶ σεμνὴ καὶ σπουδαία. Καὶ γὰρ περὶ τὴν ὑποδοχὴν ἐσπούδαζε τοῦ Χριστοῦ.“

His quidem ille putare videtur tres unctrices fuisse. At ea, quæ in eadem homilia statim sequuntur, legenti aliter se res habere videbitur. Hæc sunt:

„Δείκνυσιν δὲ ὁ εὐαγγελιστὴς, ὅτι καὶ αἱ ἀδελφαὶ ἐφιλον αὐτὸν, καὶ ὅμως συνεχώρησε τὸν Ἀζάρον ἀποθανεῖν. Τίνος δὲ ἕνεκεν οὐκ ἐάσασαι τὸν ἀδελφὸν κείμενον, ὅπερ ἐποίησεν ὁ ἐκατόνταρχος καὶ ὁ ἄρχων ὁ βασιλικὸς, ἀπῆλθον πρὸς αὐτὸν, ἀλλὰ πέμπουσι; Σφόδρα ἐθαύρουν τῷ Χριστῷ, καὶ πολλὴν πρὸς αὐτὸν εἶχον οἰκειώσιν. Ἄλλως δὲ, καὶ γυναῖκες ἦσαν ἀσθενεῖς, καὶ τῷ πένθει κατεῖχοντο· ἐπεὶ οὐ καταφρονοῦσαι τοῦτο ἐποίουν, ὥστερον ἐδήλωσαν. Ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἦν αὕτη ἐκεῖνη, δηλόν. Ἀλλὰ καὶ ἐκείνην τίνος ἕνεκεν ἐδέξατο ὁ Χριστὸς, φησὶν; Ἵνα λύσῃ τὴν κακίαν ἵνα δείξῃ τὴν φιλανθρωπίαν ἵνα μάθῃς, ὅτι οὐκ ἔστι νόσημα νικῶν αὐτοῦ τὴν ἀγαθότητα. Μὴ τοίνυν τοῦτο μόνον ἴδῃς, ὅτι ἐδέξατο, ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνο σκόπει, πῶς μετέβαλε. Καὶ τίνος ἕνεκεν ἀναμνησθεὶς τῆς ἱστορίας ταύτης ἡμᾶς ὁ εὐαγγελιστὴς; μᾶλλον δὲ τί διδάξαι βούλεται τῷ λέγειν, Ἠγάπα δὲ ὁ Ἰησοῦς τὴν Μάρθαν, καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς, καὶ τὸν Ἀζάρον; Μηδέποτε ἀγανακτεῖν μηδὲ δυσχεραίνειν, εἰ τις ἀσθένεια γένοιτο περὶ τοὺς σπουδαίους ἀνδρας καὶ τῷ Θεῷ φίλους.“

Ex his apparet, s. Chrysostomum sententiam non mutasse. Quæ cum ita sint, cum hæc posteriora verba tam plana sint atque perspicua, nullius iam momenti esse possunt

<sup>1)</sup> ad cap. XXVI, 6 et 7. Migne, Ser. Græc. tom. LVII. pag. 723 (765).

<sup>2)</sup> v. Thorz, l. l. pag. 131: „Um so mehr muss die zweite Stelle des Chrysostomus überraschen, wo er seine in der ersten Stelle so klar ausgedrückte Ansicht so schnell verlassen und eine Behauptung aufstellt, in der er ganz vereinzelt dasteht. Denn hier unterscheidet er schon zwischen der Sünderin bei Lucas und jener Frau bei Matthäus und Marcus, und stellt diesen beiden Maria, des Lazarus Schwester, als eine von diesen beiden verschiedene Person gegenüber; das Ueberraschendste aber ist, dass er die bei Matthäus und Marcus erwähnte Salberin, die er von der Sünderin bei Lucas unterscheidet, in gleiche Kategorie sittlicher Beschaffenheit mit dieser setzt.“

<sup>3)</sup> ad cap. XI, 1 et 2. Migne, Ser. Græc. tom. LIX. pag. 341 et 342 (368).

illa superiora, neque „ὅτι οὐχ αὕτη ἐστὶν ἡ πόρνη ἢ ἐν τῷ Ματθαίῳ οὐδὲ ἢ ἐν τῷ Λουκᾷ“ neque „ἐκεῖναι μὲν γὰρ πόρναι δὴ τινες ἦσαν.“<sup>1)</sup>

Idem Chrysostomus unctricem commemoravit in oratione adversus Judæos quinta. Quo loco cum in animo haberet probare, quæ futura prænuntiasset Dominus, ea facta esse, huius rei exemplum petivit ab unctrice intuitusque illud, quod traditum est a Matthæo et a Marco, a quibus solis mentio fit prædictionis divinæ,<sup>2)</sup> hæc dixit:<sup>3)</sup> „Προσῆλθεν αὐτῇ γυνή, ἀλάστρον μύρον ἔχουσα πολυτίμου, καὶ κατέχευε τὸ ἔλαιον. Ἐπετίμησαν οἱ μαθηταὶ τῇ γενομένῳ, λέγοντες· Διὰ τί μὴ ἐπράθῃ τοῦτο τριακοσίων δηναρίων, καὶ ἐδόθῃ πτωχοῖς; Ἐγκαλῶν τοῖνυν αὐτοῖς οὕτω πως φησί [!]. Τί κόπους παρέχετε τῇ γυναικί; . . . Καὶ βασιλίδες πολλαὶ, καὶ μεγάλαι γυναικες μυρία τοὺς ἀρχομένους εὐεργετήσασαι, οὐδὲ ἐξ ὀνόματός εἰσὶ τινι γινώριμαι. Ἡ δὲ εὐτελὴς αὕτη γυνή, ἔλαιον καταχέασα μόνον, πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἄδεται . . . καίτοι οὐδὲ τὸ ἔργον περιφανές· τί γὰρ ἦν τὸ ἔλαιον καταχέειν· οὐδὲ τὸ πρόσωπον ἐπίσημον· γυνή γὰρ ἦν ἀπερῶμιμένη . . . Ἀλλ' ὅμως οὔτε ἡ εὐτέλεια<sup>4)</sup> τοῦ προσώπου, οὔτε ἡ ὀλιγότης τῶν μαρτύρων . . . ἀλλὰ βασιλίδων πασῶν, καὶ βασιλέων ἀπάντων λαμπροτέρα νῦν ἐστὶν ἡ γυνή.“

Quartus locus, qui est in homilia de poenitentia septima,<sup>5)</sup> hæc habet: „Πρόσεχε ἀκριβῶς, μὴ σε διαφύγῃ τῆς θεωρίας τὸ μέγεθος· ἡ ἁμαρτωλὸς ἐκεῖνη γυνή ἢ μεμαρτυρημένη ἐπὶ πάσῃ ἁμαρτίᾳ καὶ ἀνομίᾳ, ἢ τοσαῦτα ἁμαρτήσασα, καὶ τοσοῦτοις ἁμαρτιῶν ἔργοις ἀνεχομένη, διψήσασα τὴν ἐκ μετανοίας σωτηρίαν ἵπαισθῆ . . . Τοῦ γὰρ Σωτῆρος κατακεκλιμένου ἐν τῷ οἴκῳ Σίμωνος τοῦ Φαρισαίου, ὑπαισθῆ ἡ γυνή ἢ ἁμαρτωλὸς ἐκεῖνη, καὶ τῶν ποδῶν ἤπτετο τοῦ Σωτῆρος, καὶ τοῖς δάκρυσιν ἀπέπλυνεν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ ταῖς θριξίν ἐξέμαυε καὶ τὴν τοσοῦτοις κηρωμένην ἁμαρτήμασι διανέστησεν ὁ φιλόανθρωπος λέγων· Ἀφένονται αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι . . .“ Hoc loco scriptor Lucæ sequitur narrationem,

<sup>1)</sup> Hoc ut vere dictum videatur, facit etiam Severus Antiochenus († c. a. 540), qui scribit (Migne, Ser. Græc. tom. I. pag. 775 in annot. 40): „Ἡμεῖς μὲν οὖν τρία εἶναι τὰ γυναικα νομιζομεν. Ὁ δὲ χρυσοῦς τὴν γλωττίαν . . . δύο ταύτας τὰς γυναῖκας εἶναι φησι, μίαν μὲν τὴν παρὰ τῷ Ἰωάννῃ, ἑτέραν δὲ τὴν παρὰ τοῖς τρισίν. Videtur Chrysostomus hæc dixisse singulas Evangelistarum spectans descriptiones, non suam de hac re sententiam. Quamquam mirum videri possit, quod non nominatur Marcus; sed huius eadem fere sunt verba quæ Matthæi. Neque in homiliis quidem ita premendum esse puto unumquodque. Ut ipse Chrysostomus, cum hoc loco dicat Dominum permisisse mulieri ut ipsum ungueret, quod fuerit pia, in homilia LXXX. in Matthæum dicit l. l. pag. 725: „Μεγάλη ἡ φιλανθρωπία τοῦ Δεσπότου. Πόρνης ἀνέχεται, πόρνης πόδας φιλοῦσης, καὶ βρεχούσης ἔλαιῳ, καὶ καταμασσούσης ταῖς θριξίν, καὶ προσέεται, καὶ ἐπιτιμᾷ τοῖς ἐγκαλοῦσιν.“ Quid, quod non vitio caret ne illud quidem, quod ab eodem Chrysostomo hoc ipso loco dictum est præclarissime? pag. 725: „Καὶ βασιλέων μὲν μυρίων καὶ στρατηγῶν ἀνδραγαθήματα, ὧν καὶ τὰ ὑπομήματα μένει, σεσέληνται καὶ πόλεις ἀναστήσαντες, καὶ τεῖχη περιβαλόντες, καὶ πολέμους νικῆσαντες, καὶ τρόπαια στήσαντες, καὶ ἐθνη πολλὰ δουλωσάμενοι, οὐδὲ ἐξ ἀκοῆς, οὐδὲ ἐξ ὀνόματός εἰσι γινώριμοι . . . ὅτι δὲ πόρνη γυνή ἔλαιον ἐξέχεεν ἐν οἴκῳ λεπροῦ τινος, δέκα ἀνδρῶν παρόντων, τοῦτο πάντες ἔδουσι κατὰ τὴν οἰκουμένην . . .“ Nam, ut ille quidem putabat, ne unctricis quidem nomen erat notum. Idem dicit in oratione V. adversus Judæos: v. ea quæ sequuntur.

<sup>2)</sup> Matth. XXVI, 13; Marc. XIV, 9.

<sup>3)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XLVIII. pag. 884 et 885 (629).

<sup>4)</sup> Ut Lazari sorores de fratris morte consolarentur, in ea, quam supra diximus, in Joannem homilia tradit multos venisse ἢ διὰ τὴν ἀνάγκην τῆς συμφορᾶς ἢ ὡς εὐγενεστέρως αἰδομένους (l. l. pag. 345).

<sup>5)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. XLIX. pag. 325 (329).

cuius rei rationem facile est explicare: solus enim Lucas unctricem inducit pœnitentem. Sed non satis constat, utrum Chrysostomi sit ea homilia necne.<sup>1)</sup> — Sine dubio autem subditiçæ<sup>2)</sup> sunt homiliæ „in pharisæum et meretricem“;<sup>3)</sup> „in Martham, Mariam, Lazarum et in Eliam prophetam“;<sup>4)</sup> „in mulieres unguenta ferentes“.<sup>5)</sup>

De Maria autem Magdalena cum loquitur, Chrysostomus ne leviter quidem significat, eandem se eam fuisse putare ac Mariam, Lazari sororem, aut peccatricem.<sup>6)</sup>

### Theodorus Mopsuestenus († a. 428).

Præter Apolinarium hunc primum dixisse, ab una eademque muliere Dominum unctum esse, tradit Photius<sup>7)</sup>. Exstat unus locus a Theodoro de hac re scriptus in „Commentarii in Evang. Joannis fragmentis“ (ad cap. xi.):<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> „Extant Homiliæ IX de Pœnitentia. Ex his priores sex Montfaucon indubitanter attribuit S. Chrysostomo; posteriores tres inter genuinas quidem edidit, sed cum qualicumque dubio ob minorem styli elegantiam“ Fessler, l. l. tom. II. pag. 98 annot. 2.

<sup>2)</sup> v. Montfaucon quæ dicit in edit. Maurin. præfat. tom. I. § VI; cf. etiam Dupin, Nov. Bibliothec. Auctorum Ecclesiasticorum Paris. 1692, tom. III. pag. 109; Tillemont, Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles Paris 1706, tom. XI. pag. 395; Migne, Ser. Græc. tom. LXI. pag. 681.

<sup>3)</sup> In hac homilia dicitur meretricis nomen esse ignotum (Migne, tom. LXI. pag. 728): „*Εἰπέ ἡμῖν, εὐαγγελιστὰ, τὴν προσήγορίαν αὐτῆς, γράψον τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς, μάθωμεν πῶς ὠνομάζετο. Προσήγορίαν εἶχε τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τὸ ὄνομα τὸ πονήρευμα.*“

<sup>4)</sup> Hoc loco Maria, Lazari soror, dici videtur semper fuisse pia (Migne, l. l. pag. 702): „*Ἡ Μαρία τὰς πολλὰς τῶν γυναικῶν ἀπεσόβησεν ἐκ τῆς κατεργασίας αὐτῶν, καὶ ἐδίδαξε λίαν μύρου βασιτάζειν, καὶ μὴ κεφαλὴν βαπτιστοῦ ἀποτέμνειν τὸν Κύριον μυρίζειν, καὶ μὴ τῷ Ἰούδα συγκλέπειν τὰς τριχὰς ἐκλύειν, καὶ μὴ τὰς ἁμαρτίας συσφίγγειν ἀδελφὴν Αἰζάρου προσαγορεύεσθαι, καὶ μὴ θυγατέρα τοῦ διαβόλου φημίσεσθαι.*“

<sup>5)</sup> De hac homilia scriptum est apud Ceillier, l. l. tom. XI. pag. 787: „Savilius avait mis ce discours parmi ceux qui sont faussement attribués à saint Chrysostome. Le père Combefis, l'ayant trouvé sous le nom de Jean, évêque de Thessalonique (c. a. 680), le lui a attribué.“ Aperte autem ibi Maria Magdalena a Maria, Lazari sorore, distinguitur (Migne, tom. LIX. pag. 642): „*Λέγεται δὲ εἶπαι ἄρτι, πῶσαι εἰσὶ Μαρία, ὧν οἱ εὐαγγελιστὰὶ ἐμνημόνευσαν. Πολλοὶ γὰρ περὶ αὐτῶν διηρέθησαν. Οἶμαι οὖν αὐτὰς πέντε ὑπάρχειν. Ἀλλὰ προσέχειτέ μοι μετὰ πάσης ἀκριβείας. Ἔστι τοίνυν Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, ἀφ' ἧς ὁ Κύριος ἐκβεβλήκει ἐπὶ δαίμονια ὅθεν καὶ σπουδαία γέγονεν ἡ γυνὴ διὰ τὴν ἀντίδοσιν τῆς τηλικαντῆς εὐεργίας. Καὶ Μαρία Ἰακώβου οὕτω καλουμένη ἐστὶν ἡ Θεοτόκος, ὡς εἵπομεν . . . Ἡ δὲ τρίτη Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου τοῦ μικροῦ καὶ Ἰωσὴ ὄντως μήτηρ . . . ἄλλη ἐστίν. Ἔστι τοίνυν καὶ Μαρία ἡ τοῦ Κλονᾶ . . . Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Μαρία ἡ ἀδελφὴ Μάρθας καὶ Αἰζάρου.*“ Sub eiusdem Joannis Thessalonicensis nomine hæc scripta videmus in Max. bibl. veterum Patrum, tom. XII. pag. 822.

<sup>6)</sup> Peccatricem quidem discernere videtur a Maria Magdalena, cum in hom. in Matth. LXXX. (Migne, l. l. pag. 724 [766]) scribit: „*Καὶ πάντων τῶν ἄλλων ὑπὲρ θεραπείας προσερχομένων σωματικῆς μόνον, αὕτη τιμῆς ἐνεκεν προσήει μόνης, καὶ τῆς κατὰ ψυχὴν διορθώσεως. Οὐδὲ γὰρ τι τοῦ σώματος ἀνάνηρος ἦν ὥστε καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα ἂν τις αὐτὴν θαυμάσειε.*“ De primo autem mulieris ad Dominum aditu eum loqui, intellegitur ex iis, quæ eodem loco dicta sunt: „*Αἰὶ καὶ μετὰ πολλὰς γυναῖκας, τὴν Σαμαρεῖτιν, τὴν Χαναταῖαν, τὴν αἰμορροῦσαν, καὶ ἑτέρας πλείους προσέρχεται, διὰ τὸ πολλὴν ἐαυτῇ συνειδέναι ἀσέλειαν.*“

<sup>7)</sup> v. quæ dicta sunt ad Apolinarium pag. 17.

<sup>8)</sup> Migne, Ser. Græc. tom. LXVI. pag. 765.

„Ταῦτα διηγούμενος ὁ εὐαγγελιστὴς Ματθαῖος, σφόδρα διεξοδικῶς τὴν μνήμην αὐτοῦ ἐποιήσατο· οὔτε γὰρ τὴν ἀλείψασαν τῷ μύρῳ ἥτις ἐστὶν ἔφη, ἀλλ' ἀπλῶς καὶ ἀνωνύμως γυναῖκα ἐκάλεσεν· οὔτε τὸν αἰτιασάμενον, ὅτι Ἰούδας· ἀλλ' ἀπλῶς κοινῇ αὐτὰ ἔφη τῶν μαθητῶν γενέσθαι φωνήν, πάντων κατηγορεῖσθαι βουλόμενος· ἀλλ' ἀπλούστερον περὶ τὴν διήγησιν ὁρμήσας, ὁ μέντοι μακάριος Ἰωάννης καὶ τούτῳ τῆς περὶ τὸν Χριστὸν ἀγάπης τὴν ἐπιστάσιαν ἐπεδείξατο· οὔτε γὰρ ἀμνημονῆσαι τῆς γυναικὸς ἠνέσχετο, καὶ τοῦ προδότου τὸν τρόπον φανερῶς ἐξεκάλυπεν· κακεῖνο δὲ ἐπισημαντέον, ὅτι Ματθαῖος μὲν εἶπεν ὡς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξέχεεν τὸ μύρον, Ἰωάννης δὲ ὅτι τοὺς πόδας ἤλειψε καὶ ἐξέμασσε ταῖς θορίξιν· ὡς δῆλον εἶναι ἐντεῦθεν ὅτι ἀμφοτέρω γέγονεν . . . εἴρηται δὲ ἐν τοῖς εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον ὑπομνήμασι,<sup>1)</sup> ὅπως οἱ ἐξηγησάμενοι τὰ Εὐαγγέλια διαφόρους φασὶν εἶναι τὰς γυναῖκας, οὐ τὴν αὐτὴν παρὰ Ματθαίῳ καὶ Μάρκῳ καὶ Ἰωάννῃ· καὶ ὁ βουλόμενος ἐκεῖνα ἐντυγχανέτω, καὶ γνώσεται τὰς περὶ τούτων διαφοράς.“

Sed hoc loco unctricem, quæ est apud Lucam, non commemorat, dicitque unum hoc, eandem unctionem tradi a Matthæo, Marco, Joanne, ab Joanne vero accuratius.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> „Citat ergo suos in Matthæum commentarios Mopsuestenus, qui pariter iam diu vixerunt. [?] Mai“ Migne, l. l. annot.

<sup>2)</sup> Hic locus vereor ne ante oculos obversatus sit Victori Antiocheno scribenti hæc (cf. pag. 17 annot. 6): „Apollinarius tandem et Theodorus eandem apud omnes Evangelistas describi aiunt, Joannem vero historiam illam cæteris accuratius persecutum.“ Quod si ita est, nescio an fieri potuerit, ut erraret ipse quoque Photius.

Quæ in promptu sunt de reliquis scriptoribus Græcis atque de Latinis omnibus, proximo anno foras dabo.